MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80531-4

AUTHOR:

OELTZE, OTTO

TITLE:

DE PARTICULARUM MEN
ET DE APUD...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1887

Master Negative #

92-80531-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88T43
DO Oeltze, Otto, 1864-
De particularum μέν et δέ apud Thucydidem usu
Dissertatio...quam...scripsit Otto Oeltze...
Halis Saxonum, Karras, 1887.
60 p. 21½ cm.

Thesis, Halle.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/1/92 INITIALS CR
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PARTICULARUM ΜΈΝ ET ΔΈ APUD THUCYDIDEM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

A PHILOSOPHORUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO OELTZE
BORUSSUS OCCIDENTALIS.

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS
MDCCCLXXXVII.

PATRIS CARISSIMI

MANIBUS.

Grammatica comparativa et antiquissimorum linguarum fontium observatio quantum ad syntaxim quoque cognoscendam contulerit, nemo est quin sciat. Imprimis vocularum illarum quae varium in modum enuntiata copulant, natura tum demum, cum affinium linguarum verba respondentia et usus Homericus comparari coeptus est, penitus intellecta est. Itaque cum antea ex Atticorum modo sermone considerato particula *μέν* ita intellegeretur, quasi primitus vis concessiva esset et oppositio cum *δέ* sequi deberet, et grammaticorum et Homericorum studiis repertum est *μέν* idem esse quod *μήν* vi confirmativa et asseverante. Qui docuerunt eum usum apud Homerum latissime patere, apud Herodotum non raro inveniri neque vero deesse apud Atticos vestigia, vulgatam significationem ex eo paulatim ortam et attenuatam esse. Nomino praecipue Hartung, Lehre von den griechischen Partikeln, p. 390 sqq., et Bäumlein, Untersuchungen über griechische Partikeln, p. 159 sqq., Mutzbauer, Der homerische Gebrauch der Partikel *μέν*, Coloniae 1884/86. Tamen ei viri doctissimi studio vim confirmativam etiam apud Atticos monstrandi paulo longius processisse mihi videntur quam libera exemplorum contemplatio sustinet. Atque etsi apud nonnullos scriptores, imprimis Platonem, eius usus multa exempla inveniuntur, tamen in longe maxima locorum multitudine *μέν* ita usurpatum est, ut oppositio cum *δέ* sequatur. Itaque usum antiquissimi prosae orationis Atticorum scriptoris, Thucydidis nempe, — de Antiphontis usu iam disputavit Schaefer in dissertatione Gott. 1877: de particularum nonnullarum ap. Ant. usu — diligentius perquirere non supervacaneum putavi.

I.

Apud quem in exiguo exemplorum numero ubi non enuntiatum cum particula respondente sequitur, omnia fere talia sunt,

ut oppositio aut alio sententiarum nexu tecta atque occultata sit aut facile mente suppleatur. Scilicet hanc rem dicat quispiam vanam disceptationem verborum esse. Imprimis enim post pronomina quibus libenter particula *μέν* se applicat, non minus facile oppositio subaudiri potest, quae nempe e pronominis vi ipsa intellegenda est, quam vis confirmativa statui. Qua de re non nisi unoquoque exemplo examinato disseri potest. Atque equidem unum modo locum inveni, ubi de confirmativa vi particulae *μέν* dubitari non posse putem, qui scilicet in parte operis plane singulari est, uno loco quo breves dictiones atque contradictiones adhibitae sunt, III 113, 4: *καὶ μὲν δὴ τούτοις γε ἡμεῖς χθὲς — ἐμαχόμεθα,* ubi sine dubio *μέν* veritatem rei asseverat, coniunctum cum *δή* quod demonstrativam vim habet: 'Sane vero cum iis ipsis pugnavimus, exuviae istae quas vides rem aperte docent'. Is nempe est usus, quem nemo est quin ex Platonis dialogis noverit.

Aliter de duobus locis in Cleonis oratione iudicandum est, ubi *μέν* pronomini *ἐγώ* postpositum est: III 40, 2 cum antea dictum sit Mytilenaeos non coactos, sed pleno arbitrio defectionem molitos esse et confecisse, pergit: *ἐγὼ μὲν οὖν καὶ τότε πρῶτον καὶ νῦν διαμάχομαι μὴ μεταγνῶναι,* in sequentibus enuntiatum quod aptam his oppositionem contineat frustra quaerimus. Subaudiri tamen facile apparet tale quid quod apud Lysiam in fine quintae et decimae orationis legimus: *ἐγὼ μὲν οὖν — δέομαι τὰ δίκαια ψηφίσασθαι· ὑμᾶς δὲ χρὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοντας τὴν ψῆφον φέρειν κτε.* Certe si qua oppositio subaudienda est, tale supplementum magis naturae rei convenit quam cogitatio: *ἄλλοι δὲ ἄλλως ἂν συμβουλεύοιεν.* Etenim nostram explicationem ipsum enuntiatum suppeditare videtur: 'ego suadeo, vos sequimini'. Aptius quoque id puto esse quam sensum confirmativum: nolite dubitare quin ego hoc suadeam! quasi vero tali confirmatione opus sit et non ex unoquoque orationis enuntiato appareat qualis Cleonis mens sit. Plane similiter III 38, 1: *ἐγὼ μὲν οὖν ὁ αὐτός εἰμι κτε.*; hic oppositio in verbis quae sequuntur latet: *καὶ θαυμάζω μὲν τῶν προθέντων αὖθις — θαυμάζω δὲ καὶ ὅστις —.* Concinnius fuerat *τῶν δὲ προθέντων — θαυμάζω,* quae structura nimirum propter partitionem anaphoricam mutata est. Iam in

his igitur exemplis, ubi *μέν* pronomini *ἐγώ* postpositum est, vis confirmativa non agnoscenda est.

Isaei prima oratio incipit: *πολλὴ μὲν ἡ μεταβολή μοι γέγονεν,* ubi nihil est quod oppositionis loco suppleri possit, et Schoemann ibi pleno iure adnotat: „Non ubique aut intellegi potest aut omissa est illa pars orationis in qua sequi debebat *δέ* (sic Hermann ad Vig. p. 841, Hoogeveni doctrina partic. 456). Scilicet hi propriam ac primitivam particulae vim concessivam statuunt, quae *βεβαιωτική* potius videtur.“ Iam simile orationis initium habemus apud Thucydidem, VI 68, 1: *Πολλῇ μὲν παραινέσει τί δεῖ χρῆσθαι;* tamen res hic aliter se habet. Nam confirmatio enuntiato interrogativo contineri non potest, et oppositio mihi satis aperte in eis quae sequuntur inesse videtur: *αὐτὴ γὰρ ἡ παρασκευὴ ἱκανωτέρα μοι δοκεῖ εἶναι θάρσος παρασχεῖν.*

Simili modo omnia exempla explicari possunt, ut VII 66, 1, qui locus ipse in orationis initio est: *Ὅτι μὲν καλὰ τὰ προειργασμένα καὶ ὑπὲρ καλῶν τῶν μελλόντων ὁ ἀγὼν ἔσται — δοκεῖτε ἡμῖν εἰδέναι.* Oppositio *ὅτι δὲ καὶ νικήσειν ἐλπίς ἐστι νῦν δείξω* audienda est ex verbis paragraphi secundae: *Ἀθηναίους γὰρ τὰς μὲν νενικήκατε ἤδη ναυμαχίας, τὴν δ᾽ ἐκ τοῦ εἰκότος νῦν νικήσετε.* — III 9, 1: *τὸ μὲν καθεστὸς τοῖς Ἕλλησι νόμιμον — ἴσμεν*; oppositio continetur verbis: *ὃ ἡμῖν καὶ Ἀθηναίοις οὐκ ἦν.* Etiam I 109, 2 verba *τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἐκράτουν κτε.* oppositionem accurate expressam non accipiunt, subauditur autem in his: *ὃς ἀφικόμενος — ἐκράτησε.* IV 73, 4 verbis: *οὕτω δὴ τῷ μὲν Βρασίδᾳ αὐτῷ — ἀνοίγουσι τὰς πύλας* responsionem sequi: *οἱ δὲ ἐν τῇ πόλει — κατάγουσι τοὺς ἐκ Πηγῶν* vidit iam Haackius, *δέ* autem ipsum non ad illud *μέν* respicit, sed ad priora annectit. Similiter II 74, 2: *πρῶτον μὲν ἐς ἐπιμαρτυρίαν Ἀρχίδαμος — κατέστη —. Τοσαῦτα ἐπιθειάσας κατέστη ἐς πόλεμον κτε.* Plenius dixisset: *τοσαῦτα μὲν ἐπεθείασεν, ἔπειτα κατέστη.* — I 10, 1 post verba: *Καὶ ὅτι μὲν Μυκῆναι μικρὸν ἦν — οὐκ ἀκριβεῖ ἄν τις — ἀπιστοίη* respondere § 3: *οὐ — μᾶλλον σκοπεῖν ἢ τὰς δυνάμεις* recte vidit Krueger. Bäumleinio collocatio particulae *μέν* scrupulos movere non debuit, cf. exemplum quod modo attuli, VII 66: *ὅτι μὲν καλά κτε.*

His igitur locis post longiorem prioris membri explicationem enuntiatum aliter absolvitur atque inceptum erat, ita ut scriptor *μέν* quod antea positum est iam oblitus esse videatur. In aliis exemplis oppositio verbis omnino non significata per se intellegitur, ut III 39, 2: *ἐπανέστησαν μᾶλλον ἢ ἀπέστησαν· ἀπόστασις μέν γε τῶν βίαιόν τι πασχόντων ἐστιν*, scil. *ἐπανάστασις δὲ τῶν οὐδὲν τοιοῦτον πασχόντων*, VII 55, 1: *πρότερον μὲν γὰρ ἐφοβοῦντο*, scil. *τότε δὲ οὐκέτι*, VI 25, 1: *ἄκων μὲν εἶπεν ὅτι*, quod non opus est cum Kruegero mutari in *εἶπε δ᾽ ὅτι*, quamquam exempla ab eo allata coniecturam probabilem facere videntur. Quibus in locis valde miror Bäumleinium p. 162 confirmativam vim agnoscere. V 21: *αὐτὸς μὲν — ἐπορεύετο*; ex contextu orationis apparet legatos Lacedaemone remanere. VIII 22: *καὶ αἱ μὲν νῆες καταπλεύσασαι Μήθυμναν ἀφιστᾶσι*; quid pedester exercitus fecerit non narratur, scilicet nihil, v. Classenium a. l. I 90, 4 verbis: *καὶ ὁ μὲν* (scil. *Θεμιστοκλῆς*) *ταῦτα διδάξας — ᾤχετο* Class. respondere putat 91, 1: *οἱ δὲ ἀκούοντες κτε.*, non recte opinor. Nam haec verba per *δέ* arte prioribus annectuntur, in oppositione autem non de Lacedaemoniis, sed de Atheniensibus dici exspectamus, fortasse *οἱ δὲ ὡς ἐπετάξατο ᾠκοδόμουν*. Sed post longiorem de dolis a Themistocle apud Lacedaemonios adhibitis narrationem illam rem scriptor exponere oblitus est. Finis modo operis 93, 1: *τούτῳ τῷ τρόπῳ — ἐτείχισαν* breviter tangitur. — In loco admodum difficili, cuius certa explicatio nondum inventa est, II 78 ubi verba *τὸ δὲ λοιπόν ἀφέντες* in optimis codicibus omissa sunt, non possum quin cum Class. etiam priora *μέρος μέν τι καταλιπόντες τοῦ στρατοπέδου* deleam. Nam cum neque verisimile est ante perfectos circumvallationis labores maiorem partem exercitus dimissam esse nec quonam ea pars abscesserit divinare possumus, tum facile apparet ea verba ex eis quae sequuntur: *καταλιπόντες φύλακας* falso illuc invasisse. III 111 traditum est: *ὅσοι μεν* . . . . *ἐτύγχανον* aperta lacuna, in qua *μεν* ex participio aliquo truncatum esse constat. I 69, 4 denique editores praeter Kruegerum et Schoenium nescio qua de causa ex vulgata contra codices retinuerunt *μέν*, quamquam nihil respondet.

Atque his quidem locis oppositio aut supplenda aut occulta

erat. Unum modo locum inveni ubi posterius cogitationis membrum expressum est, sed deficiente particula respondente, IV 38, 5, ubi editores nihil adnotarunt: *εἴκοσι μὲν ὁπλῖται διέβησαν καὶ τετρακόσιοι οἱ πάντες· τούτων ζῶντες ἐκομίσθησαν ὀκτὼ ἀποδέοντες τριακόσιοι, οἱ δὲ ἄλλοι ἀπέθανον.* Verba *οἱ δὲ ἄλλοι* respondere sensus prorsus vetat. Quamobrem post *τούτων* part. *δέ* addendam esse puto, cf. I 36, 3: *τρία μὲν ὄντα — τούτων δ᾽ εἰ περιόψεσθε*, et III 92.

Praeterea *δέ* omittitur post *ἔπειτα* praecedente *πρῶτον μέν* his locis: I 33, 1. 98, 1. 115, 5. 121, 2; II 19, 2. 49, 2. 75, 1. 89, 2. 96, 1. 98, 1; III 20, 1. 22. 47, 2. 101; IV 111, 2; V 58, 3; VI 10, 2; VII 19, 1. 43, 1; VIII 11, 3. 45, 1. 67, 1; non omissum est: II 55. 84, 3. 100, 2; III 94, 5; IV 43, 2. 67, 5; VI 42. 69, 2; VII 66, 2. 82, 1. *Τὸ μὲν πρῶτον — ἔπειτα*: V 41, 3. 65, 3. 81. 84, 2; VII 34, 4; VIII 6, 5; *ἔπειτα δέ*: II 48, 1; V 41, 2; *ἔπειτα μέντοι*: III 111, 3; VIII 75, 1. 86, 2; *πρῶτα μὲν — ἔπειτα*: VI 39, 1; *ἔπειτα δὲ καί*: IV 66. Quarum formularum differentiam, imprimis inter *δέ* positum et omissum, statuere conatus est Herbst in luculenta commentatione Philologi 1866, p. 646—649, cf. p. 608: particulam *δέ* alteram actionis partem alteri opponere, cum *ἔπειτα* sine *δέ* nihil nisi actionis continuationem significet. Sed valde dubito num unumquodque exemplum ita explicari possit. An VII 34, 4: *τὸ μὲν πρῶτον ἡσύχαζον, ἔπειτα — ὥρμησαν ἐπὶ κτε.* minus membra opposita cogitanda sunt quam II 48, 1: *ἤρξατο τὸ μὲν πρῶτον ἐξ Αἰθιοπίας, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς τὴν Αἴγυπτον κατέβη*? Certe illa Herbstii distinctio non nisi nimia subtilitate defendi potest. Contra id consideratione dignum puto quod plerisque exemplis *δέ* cum *καί* coniunctum est. In reliquis quattuor locis duo sunt ubi membra contraria: II 55, V 41, 2, cum III 94, 5, VI 69, 2 non videam, quam in partem a multitudine eorum locorum quibus *δέ* omissum est differant; *ἔπειτα* post *πρῶτον* nunquam cum *καί* copulatur.

Venio ad ea exempla ubi *ἔπειτα* antecedenti *μέν* respondet sine *πρῶτον*. Etiam hic *δέ* modo positum: I 61, 3. II 92, 1. IV 102, 2. 135, 1. V 25, 3. VI 69, 3. VIII 11, 3, modo omissum est: I 134, 4. II 4, 2. 86, 5. III 4. 5, 2. 24, 2. IV 44, 1. 54, 2. 124, 4. V 7, 1. 65, 2. VII 40, 4. 41, 2. 58, 1. 78, 7. 79, 6.

87, 3. VIII 44, 2. 95, 5. Atque hic quidem sine dubio nihil exprimitur nisi alteram actionem alteram subsequi, non ei opponi; ita plerumque *μέν* cum adverbio temporali coniunctum est: *ὀλίγον μέν τινα χρόνον* IV 54, 2. VIII 95, 5, cf. IV 44, 1. VII 78, 7; *ἡμέρας μὲν ἑβδομήκοντά τινας* VII 87, 3, cf. II 86, 5. III 24, 2. IV 124, 4; *μέχρι μέν* V 65, 2. VII 41, 2; *τέως μέν* V 7; *ἐπὶ πολὺ μέν* VII 79, 6. Tempus in priore membro non expressum est I 134, 4. III 5, 2. 4. VIII 44, 2; in enumeratione *μέν* — *ἔπειτα* legitur VII 58, 1. — Ubi *ἔπειτα δέ* legimus, aut *δέ* cum *καί* coniunctum est: IV 102, 2. VI 69, 3, aut membra res contrarias significant, II 92, 1: *ὀλίγον μέν τινα χρόνον ὑπέμειναν, ἔπειτα δὲ ἐτράποντο,* cf. I 18, 3, ubi codices minores *δέ* omittunt, 61, 3. VIII 11, 2. Pro *δέ*, ut contraria res magis prematur, *μέντοι* positum est IV 135, 1. V 25. Dubium est num VII 66, 2 Vaticani autoritatem secuti scribamus *ἔπειτα δ' εἰ* an *ἔπειτ' εἰ.* Puto nos nihil desideraturos esse si *δέ* omitteretur, neque enim oppositio est, sed enumeratio. *Τὸ πρῶτον* non cum particula *μέν* coniungendum est VI 66, 2: *καὶ προσῆλθον μὲν — τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ — ἀναχωρήσαντες,* cf. I 131, 2. VIII 48, 1.

Iam priusquam ad particularum *μέν* — *δέ* usum syntacticum transeam, ea exempla breviter perlustrare in animo habeo, ubi particula respondens non deest quidem, sed post longum demum intervallum sequitur. Cuius rei evidentissimum exemplum habemus I 87, 5, ubi quae Lacedaemone acta sunt concluduntur verbis *καὶ οἱ μὲν ἀπεχώρησαν κτε.* Quae sequuntur, *ἡ δὲ διαγνώμη κτε.*, speciem enuntiati interpositi prae se ferunt. Haec autem ad longam de Athenarum opibus auctis narrationem traducunt, c. 88—118. Tum demum ad interruptam narrationem reditur: *αὐτοῖς μὲν οὖν — διέγνωστο.* Novam rem denique atque oppositionem continent verba c. 119: *αὖθις δὲ τοὺς ξυμμάχους παρακαλέσαντες,* nam etiam quae his antecedunt, *πέμψαντες δὲ κτε.* interposita sunt. Similiter I 126, 2: *καὶ πρῶτον μὲν — ἐκέλευον* oppositionem suam accipiunt 139, 2: *ὕστερον δὲ — ἐκέλευον,* prioribus sollemni formula transitionis *Λακεδαιμόνιοι δὲ ἐπὶ μὲν τῆς πρώτης πρεσβείας τοιαῦτα ἐπέταξάν τε καὶ ἀντεκελεύσθησαν* absolutis. Cf. II 98—102. Sine formula transitionis IV 39, 3—41. IV 77, 2: *Καὶ ὁ μὲν Δημοσθένης ἀφικόμενος κτε.* Quae antecedunt docent oppositum scriptorem in mente habuisse Hippocratem. Sed temporis quo utitur descriptio in aestates et hiemes eum hic narrationem de Brasidae in Macedoniam et Chalcidicen itinere rebusque ibi gestis inserere cogit. Tum totum c. 89 effusius caput rerum Boeoticarum in mentem revocat breviterque enarrat quid porro Demosthenes (*ὁ μέν Δημοσθ.*) effecerit. Initio cap. 90 denique (*ὁ δὲ Ἱπποκρ.*) ad alteram partem expeditionis transitur. Itaque Stahlio assentiri nequeo qui *Βρασίδας δέ* c. 78, 1 respondere iubet. — III 62, 3 secundum verba *σκέψασθε ἐν οἵῳ εἴδει ἑκάτεροι ἡμῶν τοῦτο ἔπραξαν* exspectamus statum rerum et Thebanarum et Plataeicarum exponi. Sed in expositione Thebanorum quidem cum barbaris coniunctio per *δυναστείαν ὀλίγων ἀνδρῶν* excusatur, quod fusius illustratur. Tum autem c. 63 transitur ad demonstrationem Plataeenses *μόνους αὖ Βοιωτῶν ἀττικίσαι* (62, 2), sed *ἐν οἵῳ εἴδει* id fecerint, non explanatur. Respondent tamen inter se *ἡμῖν μὲν γὰρ ἡ πόλις,* quod in fine capitis comprehenditur: *καὶ τὰ μὲν ἐς τὸν μηδισμὸν τοσαῦτα ἀπολογούμεθα,* et *ὡς δὲ ὑμεῖς μᾶλλον ἠδικήκατε.*

II.

Primum facillime ex confirmandi particulae *μέν* vi intellegitur ratio concessiva quae inter enuntiata particulis *μέν* et *δέ* coniuncta intercedit: *μέν* aliquid confirmat atque stabilit, sed ea modo causa, ut aliquid quod illi sententiae aliquam in partem contrarium est vel non convenit opponatur. Illa res minime ea repugnantia sublata est, sed in pleno suo iure manet. Hinc nascitur ille usus vulgatissimus qui germanicum „zwar — aber“ valde aequat. Atque eodem modo quo ex germanico „ze wâre“, i. e. profecto, vero, particula „zwar“ nata est, verisimile est graecum *μέν* ex *μήν* affirmativo attenuatam esse in eam vim, de qua nunc nobis dicendum est, quamquam forma dorica *μάν* eam originem reiicere videtur. Qua de re vide Hartung II p. 403, Bäumlein p. 164,

Saepe ad augendam adversativam vim *δέ* cum *ὅμως* coniunctum est, I 10, 3: *ἣν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν — κοσμῆσαι, ὅμως δὲ φαίνεται καὶ οὕτως ἐνδεεστέρα,* III 43, 1: *ἣν*

τις καὶ ὑποπτεύηται κέρδους μὲν ἕνεκα, τὰ βέλτιστα δ' ὅμως λέγειν. Δ' ὅμως praeterea legitur IV 28, 5. VIII 52, 1; ὅμως δέ: II 97, 4. V 64, 4. 104. VI 33. 69, 1. 91, 2. VII 15. 34, 6. 44, 1. 87, 4. Saepius μέντοι, quod alteri membro maiorem gravitatem praebet ita ut nos fere per „trotzdem" reddere possimus, locum particulae δέ tenet; post negativum enuntiatum I 92: ὀργὴν μὲν φανερὰν οὐκ ἐποιοῦντο τοῖς Ἀθηναίοις, τῆς μέντοι βουλήσεως ἁμαρτάνοντες ἤχθοντο, cf. II 83, 3. III 3. VIII 68, 2. 86, 6; post enuntiatum affirmativum VI 9, 1: ἡ μὲν ἐκκλησία περὶ παρασκευῆς — ξυνελέγη —, ἐμοὶ μέντοι δοκεῖ καὶ περὶ αὐτοῦ τούτου ἔτι χρῆναι σκέψασθαι, cf. I 132, 3. VI 60, 5. VIII 68, 1. 106, 1. V 88 verba: ἡ μέντοι ξύνοδος καὶ περὶ σωτηρίας πάρεστι καὶ ὁ λόγος — γιγνέσθω concessionem continere videntur, cum ea quae antecedunt: εἰκὸς μὲν ἐπὶ πολλὰ τρέπεσθαι Melii excusationis causa dicant, quod non ita se gesserunt ut status rerum poscere videtur. Tamen talis logicae rationis conversio hic offendere non potest, summa enim rei nihilominus in posteriore membro posita est: nolunt Melii impedire quominus disceptatio ut Athenienses volunt fiat: καὶ ὁ λόγος ᾧ προκαλεῖσθε τρόπῳ γιγνέσθω. Ex alia membrorum inversione I 27 figura quae vocatur ὕστερον πρότερον nascitur, v. ibi Class. — Non raro posterius membrum per οὐ μέντοι introducitur, velut II 13, 1: προηγόρευεν ὅτι Ἀρχίδαμος μέν οἱ ξένος εἴη, οὐ μέντοι ἐπὶ κακῷ γε τῆς πόλεως γένοιτο, cf. I 3, 2. 66, 1. 142, 4. II 47, 2. 56, 4. IV 72, 4. VI 32, 3. VII 14, 4. — Οὐ μέντοι cum ἀλλὰ καί coniunctum praecedente μὲν καί legimus V 43, 2: ᾧ ἐδόκει μὲν καὶ ἄμεινον εἶναι —, οὐ μέντοι ἀλλὰ καὶ φρονήματι φιλονικῶν ἠναντιοῦτο, quae formula ellipsi sane explananda est; fortasse: οὐ μέντοι τούτου γε ἕνεκα μόνον, ἀλλὰ καί.

Nec minus saepe negatio cum particula δέ coniuncta est: II 100, 3: ἐπολιόρκησαν μέν, ἑλεῖν δ' οὐκ ἐδύναντο, VI 68, 1: ὑπερφρονοῦσι μὲν ἡμᾶς, ὑπομενοῦσι δὲ οὔ; I 124, 1. 146. II 43. IV 125, 1. VI 78. In his exemplis singula verba sibi opposita sunt, enuntiata: VII 61, 1: Ὁ μὲν ἀγὼν ὁ μέλλων ὁμοίως κοινὸς ἅπασιν ἔσται —· ἀθυμεῖν δὲ οὐ χρή, cf. I 49, 4. VI 17, 8. VII 48, 1, 3.

Multo autem saepius prius enuntiatum negativum est, VII

34, 5: κατέδυ μὲν οὐδεμία ἁπλῶς, ἑπτὰ δέ τινες ἄπλοι ἐγένοντο, cf. II 100, 6. IV 128, 5. V 49, 5. 68, 3. 86. VI 80, 3; imprimis ubi id quod negatur aut a lectore exspectatur aut ab adversariis desideratur, ut I 44: μετέγνωσαν Κερκυραίοις ξυμμαχίαν μὲν μὴ ποιήσασθαι —, ἐπιμαχίαν δ' ἐποιήσαντο, cf. I 82. 132, 1. IV 79. I 67, 2: Αἰγινῆται φανερῶς μὲν οὐ πρεσβευόμενοι, κρύφα δέ; sunt quidem qui verba κρύφα δέ ad sequens verbum ἐνῆγον trahant, constructionem sine ulla necessitate turbatam efficientes, et satis nostra ratio exemplis defenditur: I 125, 2: ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη, ἔλασσον δέ, cf. V 56, 4. VI 36, 1. Praeterea huc pertinent: I 49, 2. II 81, 8. III 42, 2. 87, 1. V 8, 2. 46, 4. 115. VI 103, 4. Negativo enuntiato per ἀλλά affirmativum additur I 73, 1: ἡ μὲν πρέσβευσις ἡμῶν οὐκ ἐς ἀντιλογίαν — ἐγένετο, ἀλλὰ περὶ ὧν —· αἰσθόμενοι δὲ καταβοὴν — παρήλθομεν, ubi ἀλλά verbis οὐκ ἐς ἀντιλογίαν, δέ vero toti enuntiato oppositum est; μὲν οὐ — ἀλλὰ — μέντοι II 83, 3. VIII 68, 2.

De enuntiatis affirmativis haec adnoto: unum verbum alteri opponitur IV 22, 1: προυθυμοῦντο μέν, ἀδύνατοι δ' ἦσαν, II 37, 2: ἀζημίους μέν, λυπηρὰς δέ, quae verba saepe contraria sunt: I 42: δίκαια — ξύμφορα, II 65, 2: δημοσίᾳ — ἰδίᾳ, IV 61: ξύμπαντες μὲν — κατὰ πόλεις δέ, cf. III 39, 3. II 11, 5. 65, 9. V 105, 4. VII 11, 2. 57, 7. Enuntiata opposita sunt IV 95: δι' ὀλίγου μὲν ἡ παραίνεσις γίγνεται, τὸ ἴσον δὲ — δύναται, cf. VIII 89, 3. Neque raro in enuntiatis ex aliis pendentibus ratio concessiva est, in relativis: I 36, 1. 71, 1. 137, 4. II 63, 2. III 90. IV 92, 2. VII 81, 4. VIII 89, 2; in accus. c. inf.: I 10, 3. 42. II 11, 5. 87, 3. 99, 2. III 94, 4. VI 16, 5. 88, 2; in participiis: I 23, 3. 58, 1. 69, 1. 71, 3. 142, 8. III 9. 63, 4. 81. 82, 2. 86, 4. IV 13. V 39. 43, 2. 75, 3. VII 57, 7; in enuntiato hypothetico II 61, 1; praeterea cf. VII 34, 6: ναυμαχήσαντες ἀντίπαλα μὲν καὶ ὥς —, ὅμως δέ κτε., et IV 73, 1: ὡς οἱ Ἀθηναῖοι ἐτάξαντο μὲν —, ἡσύχαζον δέ κτε.

Prope cognatus est particularum is usus, quo aliquid certis finibus circumscribitur. Actio per μέν aliquam in partem restringitur, cum δέ significet quid alteri parti fiat, III 75: ξυγχωρῆσαι δέκα μὲν ἄνδρας — κρῖναι, τοὺς δ' ἄλλους οἰκεῖν, cf. III 39, 6. 67, 1. IV 22, 2. 61, 2. V 4, 6 saepius. Imprimis

si prius membrum negativum est, indicatur aliquid non prorsus, sed ad certum tantum gradum effici, IV 55, 1: *ἀθρόᾳ μὲν οὐδαμοῦ — ἀντετάξαντο, κατὰ δὲ τὴν χώραν φρουρὰς διέπεμψαν*; VI 50: *πόλει μὲν ἂν οὐ δέξασθαι, ἀγορὰν δ᾽ ἔξω παρέξειν*. Sic alicuius incepti altera pars eventum habet, altera non: IV 46: *τὸ μὲν τείχισμα εἷλον, οἱ δὲ ἄνδρες καταπεφευγότες κτε.*, cf. I 100, 3. II 68, 9. III 101, 2. Saepe etiam causa impediens addita est: V 13: *μέχρι μὲν Πιερίου διῆλθον, κωλυόντων δὲ τῶν Θεσσαλῶν — ἀπετράποντο*, cf. I 63. VI 95. Itaque *μέν* nonnunquam consilium modo vel spem vel conatum designat, cum posterius membrum impedimentum contineat, II 56: *ἐς ἐλπίδα μὲν ἦλθον τοῦ ἑλεῖν, οὐ μέντοι προυχώρησέ γε*; I 101, 2: *οἱ δὲ ὑπέσχοντο μὲν, διεκωλύθησαν δέ*, III 5, 6. Tempus finitur formulis: *χρόνον μὲν πολύν, ἐπὶ πολὺ μέν, μέχρι μὲν — ἔπειτα, ἐπειδὴ δέ —*. Aliqua res relinquitur, cum alius initium fiat, II 76, 2: *τοῦτο μὲν ἐπέσχον, ὑπόνομον δ᾽ ὀρύξαντες κτε.* — Non raro prius membrum nihil nisi posterioris in negativam partem supplementum est, ubi nos addimus „nur“: VI 70, 3: *ἐπὶ πολὺ μὲν οὐκ ἐδίωξαν — ἐπακολουθήσαντες δὲ ὅσον ἀσφαλῶς εἶχεν*; cf. V 73, 4. IV 22, 2 et formulam *ἄλλο μὲν οὐδὲν, αὐτὸ δὲ τοῦτο* I 139, 1. VIII 67, 3. Sed omnia exempla in classes distribuere in tam vulgari re longum est.

A concessiva vi porro non multo abest is usus quo aut alteri subjecto alterum opponitur aut uni subjecto diversa praedicata attribuuntur, id quod nos alteram actionem alteri subjicientes per „während“, Latini per „cum“ aut ablativo partic. absol. reddere solent. Cui rei ut vulgatissimae et notissimae pauca verba sufficient. Imprimis per *μέν — δέ* duas actiones eodem tempore fieri significatur: IV 38, 4: *τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι — οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι*, IV 74, saepissime. Res non solum variae, sed etiam contrariae in uno subjecto tali modo opponuntur: IV 19, 2: *τοῖς μὲν ἑκουσίως ἐνδοῦσιν — πρὸς δὲ τὰ ὑπεραυχοῦντα*, 61, 5: *ἄρχειν μὲν τοῦ εἴκοντος, φυλάσσεσθαι δὲ τὸ ἐπιόν*, cf. 63, 5. 92, 5. 108, 4. VI 76, 2: *οὐ γὰρ δὴ εὔλογον τὰς μὲν ἐκεῖ πόλεις ἀναστάτους ποιεῖν, τὰς δὲ ἐνθάδε κατοικίζειν*, cf. 39, 2. Ubique igitur altera res alteri logice subjecta est. Utram sententiam enuntiato pendenti

exprimamus, id plerumque quidem nihil interest, quoniam *μὲν — δέ* nihil nisi discrimen significent, sed apertum est imprimis eo momento dirigi, utrum in priore an in posteriore caput rei positum sit, cui alterum tantum oppositionis causa, ut ipsius momentum clarius cernatur et sententia magis elevetur atque illustretur, additum est, cf. Bäuml. p. 168. Sic verbis *ἐν τούτῳ δέ* satis secundi membri gravitas indicatur. Contra V 93: *ὅτι ὑμῖν μὲν πρὸ τοῦ τὰ δεινότατα παθεῖν ὑπακοῦσαι ἂν γένοιτο, ἡμεῖς δὲ μὴ διαφθείραντες ὑμᾶς κερδαίνοιμεν ἄν*, ubi praecipue Meliis persuadendum est, prius germanice enuntiato primario reddemus, cf. VI 4, 3. 76, 2. Quin etiam omnis vis sententiae in priore membro posita esse potest, ita ut additum *δέ* plane supervacaneum videatur, I 120, 3: *Ἀνδρῶν γὰρ ἀγαθῶν ἀδικουμένους ἐκ μὲν εἰρήνης πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι*, ubi si enuntiatum verbis *ἀδικουμένους — πολεμεῖν* absolutum esset, nihil desideraremus. Similiter V 90 sententia verbis *ὅσον ἡ φιλία ἀσθενείας παράδειγμα τοῖς ἀρχομένοις δηλουμένη* absoluta esset; sic V 87 verba *εἰ δ᾽ ἐπὶ τοῦτο, κερδαίνοιμεν ἄν* non sunt necessaria, cf. IV 126, 4. VI 38, 4. Sed id multo rarius fit. Saepius posterius membrum adeo dominationem tenet, ut prius plane inutile esse videatur, quae dictio Thucydidi adamata est. Quod imprimis cernitur in enthymematis quae dicuntur, quae ei cum Demosthene communia sunt neque desunt apud alios oratores: I 121, 5: *δεινὸν ἂν εἴη, εἰ οἱ μὲν ἐκείνων ξύμμαχοι ἐπὶ δουλείᾳ φέροντες οὐκ ἀπεροῦσιν, ἡμεῖς δ᾽ ἐπὶ τῷ τιμωρούμενοι τοὺς ἐχθροὺς καὶ αὐτοὶ ἅμα σῴζεσθαι οὐκ ἄρα δαπανήσομεν*, cf. I 35, 3. III 57, 2. 58, 5 et Rehdantz in indice Demosth. s. v. *ἐνθύμημα*. Contraria condicio cum *μέν* anteposita est III 42, 3: *χαλεπώτατοι οἱ ἐπὶ χρήμασι προσκατηγοροῦντες ἐπίδειξίν τινα. Εἰ μὲν γὰρ ἀμαθίαν κατῃτιῶντο — ἀδικίας δ᾽ ἐπιφερομένης —*, cf. I 34, 1. II 61. III 39, 2 53, 4. 65, 2. VI 10, 2. 13, 2. VII 62. Scilicet perraro exempla ejusmodi sunt, ut additum contrarium non aliquid ad sententiam aliquam in partem colorandam conferat, v. imprimis II 63, 2: *ὡς τυραννίδα γὰρ ἔχετε αὐτήν, ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον εἶναι δοκεῖ, ἀφεῖναι δὲ ἐπικίνδυνον*, I 141, 7: *ἐν βραχεῖ μὲν μορίῳ σκοποῦσί τι τῶν κοινῶν, τῷ δὲ πλέονι τὰ οἰκεῖα*

πράσσουσι, cf. I 36, 1. II 11, 5. 40, 3. 98, 5. III 39, 5. 67, 2. IV 20, 4. 126, 6. 92, 7. V 75, 3. 94. 103. 105, 4. VI 16, 3. 18, 6 80, 3. VII 44.

Fortasse non alienum videbitur ea verba singula quae Thucydides imprimis per *μέν* et *δέ* opponere amat contemplari. Primo loco elucent opposita *λόγῳ* et *ἔργῳ* similia, quae voces non minime dictionem Thucydideam et rationem cogitandi illustrant: I 22. 23, 3. 73, 3. 128, 3. II 42, 4. 65, 9. III 70. VI 78, 3. Rarius illa substantiva aliis opponuntur: II 41, 4: *ἔπεσι μὲν — τῶν δ'ἔργων*, IV 126, 4: *ἔργῳ μὲν — ὄψει δὲ καὶ ἀκοῇ*, IV 83, 3: *λόγου μὲν ἡδονῇ — τῇ δ'ἐγχειρήσει*, VII 48: *ἐνόμιζε μὲν καὶ αὐτὸς — τῷ δὲ λόγῳ*. Usitatissima pluresque significationes continens est vox *γνώμη*, cui opponitur *σῶμα* I 70, 6, *παρασκευή* I 71, 1. VII 5, 4: *ἔργῳ* II 11, 5. 64, 6 et insolenter V 108: *ὅσῳ πρὸς μὲν τὰ ἔργα τῆς Πελοποννήσου ἐγγὺς κείμεθα, τῆς δὲ γνώμης τῷ ξυγγενεῖ πιστότεροι ἑτέρων ἐσμέν; τύχη* V 75, 3. Bene hic intellegitur arta particularum inter se relatio, cum quid *γνώμη* unoquoque loco sibi velit verbo opposito declaretur. Nec minus scriptoris sentiendi ratio talibus formulis demonstratur: III 86, 4: *τῆς μὲν οἰκειότητος προφάσει, βουλόμενοι δέ*, ubi *δέ* pro *δὲ τῷ ὄντι* positum esse videtur; Poppo in Betantii lexici appendice 1847, p. 8 comparat Taciteum „specie — ceterum"; *προφάσει μὲν — τὸ δὲ ἀληθές* VI 33, 2, *προφάσει μὲν — διανοίᾳ δέ* VI 76, 2, cf. V 53: *πόλεμος ἐγένετο, προφάσει μὲν —, ἐδόκει δὲ καὶ ἄνευ τῆς αἰτίας κτε.*, I 102, 3: *τὴν μὲν ὑποψίαν οὐ δηλοῦντες, εἰπόντες δὲ ὅτι*, cf. V 30, 2. III 109, 2: *ἐκ μὲν τοῦ προφανοῦς οὐκ —, κρύφα δέ*, cf. I 67, 2, *δημοσίᾳ μὲν — ἰδίᾳ δέ* I 128, 3. II 65, 2. IV 121. VI 12, 3.

III.

Ex paratactica vi particularum *μέν* et *δέ*, qua duas actiones simul fieri significatur, facile intellegitur quomodo factum sit, ut etiam in transitionibus usurparentur, ubi altera res absolvitur, altera incipit. Apud plerosque, imprimis rerum scriptores eum morem invenimus, ut narrationem vel quamvis narrationis partem finitam esse peculiaribus verbis indicent. Neque me errare puto hoc sensui quasi plastico Graecorum attribuentem, ut

talibus formulis comprehendentibus audientium vel legentium animis nervose infigant novae rei explicationem incipi. Brevius Latini ad novam rem transeunt enuntiato pendenti tractatam rem comprehendentes, novae enuntiato primario initium parantes, velut: dum haec Romae geruntur, quibus rebus confectis, vel etiam simplicius: eodem fere tempore, interim, per — sub idem tempus cet.

Atque ut a formis quibus transitiones significantur ordiamur, longe vulgatissimum est *μέν* cum pronomine demonstrativo, quod scilicet quae antea dicta sunt demonstrat, conjunctum: *οὗτος, οὕτως, τοιοῦτος, τοσοῦτος, ὅδε*, sequente *δέ* quo nova res incipit. Collocatio verborum haec est: II 54, 6: *Ταῦτα μὲν τὰ κατὰ τὴν νόσον γενόμενα* et sic novies et quadragies, aut V 67, 2: *Λακεδαιμόνιοι μὲν οὕτως ἐτάξαντο*, sic terdecies, aut I 138, 6: *Τὰ μὲν κατὰ Παυσανίαν — οὕτως ἐτελεύτησεν*, sic bis et quinquagies. Saepe *μέν* particula *οὖν* quae priora rursus excipit, latine igitur, firmatum est. *Μὲν οὖν* demonstr. antecedit I 41, 1: *Δικαιώματα μὲν οὖν τάδε ἔχομεν*, I 93, 8. II 9, 1. 13, 6. VI 2, 7, plerumque ita ut substantivum intercedat: III 20, 4: *τὸ μὲν οὖν τεῖχος — τοιοῦτον ἦν*: I 15, 1. 20, 1. 55, 2. 46, 5. II 51, 1. III 17, 4. 64, 5. 78, 4. 85, 1. 112, 8. IV 21. 77, 1. 118, 4. V 28, 3. 35, 8. 60, 4. Demonstrativum antecedit I 49, 6: *ταύτῃ μὲν οὖν οἱ Κορίνθιοι ἡσσῶντο*, II 89, 9. 91, 1. IV 13. 88, 2. VII 19, 4. — Etiam *μὲν δή* in his formulis adhibetur: I 53, 3. II 4, 8. III 24, 3. IV 119, 3. V 113. Sine demonstrativo *μὲν οὖν* transitionem parat I 40, 1: *ὡς μὲν οὖν — δεδήλωται*, 123, 1. IV 8, 7. VII 31, 5. VIII 5, 5. 8, 1. 64, 5. 85, 4; *μὲν δή* I 45, 4. Praeterea quattuor et quadraginta locis *μέν* sine demonstrativo vel *οὖν* positum transitionem parare vidi.

Quae sic comprehenduntur antea vel longiore vel breviore dissertatione tractata esse possunt. Ita I 48 in pugna apud Sybota insulas commissa Corcyraeorum acie paucis descripta pergitur: *οὕτω μὲν Κερκυραῖοι ἐτάξαντο, Κορίνθιοι δέ κτε.* Contra II 32 quae inde ab initio secundi libri narrata sunt comprehenduntur: *ταῦτα μὲν τῷ θέρει τούτῳ ἐγένετο.*

Sed in tanta quot enumeravi exemplorum copia minime omnia nihil nisi talem brevem comprehensionem continent, ve-

rum etiam ea enuntiata huc trahenda sunt, in quibus praeterea novi aliquid additur, quod saepissime fit nobisque paulo uberius disserendi copiam praebet. Quorum enuntiatorum simplicissima forma ea est, ut particula *καί* aliquid annectat, quod quam facile fieri potuerit quivis videt. II 5, 6: *Θηβαῖοι μὲν ταῦτα λέγουσι καὶ ἐπομόσαι φασὶν αὐτούς. Πλαταιῆς δ' οὐχ ὁμολογοῦσι*, III 116, 1: *Ταῦτα μὲν κατὰ τὸν χειμῶνα τοῦτον ἐγένετο, καὶ ἕκτον ἔτος — ἐτελεύτα*, cf. I 46, 5. 55, 2. II 34, 7. 47, 1. 51, 1. 70, 5. III 18, 5. 85, 1. IV 12, 1. 16, 3. 119, 3. V 48, 1. 3. 78. 80. VI 91. VII 58, 5. VIII 14, 3. 27, 6, *καὶ τἆλλα* I 93, 8. VIII 68, 1. Nonnumquam evenit, ut post formulam transitionis enuntiatum interpositum latius exponatur, ut VIII 59, 1, ubi pactio inter Lacedaemonios et Tissaphernem facta concluditur: *Αἱ μὲν σπονδαὶ αὗται ἐγένοντο*, post quae verbis *καὶ μετὰ ταῦτα κτε.* indicatur Tissaphernem in pacto manere paratum fuisse. Tum demum verba *Βοιωτοὶ δέ* novam rem afferunt, cf. IV 16, 5. Equidem etiam I 45, 1 huc trahere non dubito. Omnia enim quae sequuntur: *καὶ — ἀπέστειλαν βοηθούς, ἐστρατήγει δέ —, προεῖπον δέ* additamenta sunt ad caput rei: *τοιαύτη μὲν γνώμη οἱ Ἀθηναῖοι — προσεδέξαντο.* Res nova ad quam transitur 46, 1 demum sequitur: *οἱ δὲ Κορίνθιοι*, ubi particula *δέ* simul enuntiato quod antecedit et priora absolvit, respondet: *αἱ μὲν δὴ νῆες ἀφικνοῦνται ἐς τὴν Κέρκυραν.* Rehdantzius in indice Demosth. hunc locum exemplum *μέν* solitarii esse vult, sed verba ipsa docent enuntiatum transitioni indicandae inservire; et in tanta exemplorum copia semper particula *δέ* sequitur. Plane similem ordinem habemus I 110, ubi verba *οὕτω μὲν τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα* post plura additamenta ita repetuntur: *τὰ μὲν κατὰ τὴν μεγάλην στρατείαν — οὕτως ἐτελεύτησεν.*

Definitio temporis addita est III 68, 5: *καὶ τὰ μὲν κατὰ Πλάταιαν ἔτει τρίτῳ καὶ ἐνενηκοστῷ ἐπειδὴ — οὕτως ἐτελεύτησεν*, cf. 78, 4. 108, 3. VII 87, 3. I 51, 3, aliquod additamentum vel annotatio per participium expressa I 138, 6: *Τὰ μὲν κατὰ Παυσανίαν καὶ Θεμιστοκλέα λαμπροτάτους γενομένους τῶν καθ' ἑαυτοὺς Ἑλλήνων οὕτως ἐτελεύτησεν*, cf. V 65, 4. 74, 1. VII 30, 4. 86, 5. Quod participium I 20, 1 per particulam *γὰρ* fusius explicatur, ita ut responsionem quam exspectamus multo post legamus.

Fit quoque ut transitionis vis eo obscuretur, quod verbum repetitionem continens in structura ex eo quod novam rem affert pendet, cum hoc verbo finito, illud participio exprimatur: V 27, 3: *Καὶ οἱ μὲν Κορίνθιοι διδάξαντες ταῦτα ἀνεχώρησαν*, vel VI 41, 5: *Καὶ οἱ μὲν Συρακόσιοι τοσαῦτα εἰπόντος τοῦ στρατηγοῦ διελύθησαν*, cf. I 87, 5. III 112, 8. IV 13. V 37. 58, 5. VI 50, 1. VII 73, 4.

Haec de enuntiatis interpositis sufficiant, quibus naturam formularum transitum significantium violari quidem sed non deleri ex ipsis exemplis patet. Paulo longius ea enuntiata declinant quibus voluntatem sive edictum antea commemoratum confici exprimitur. De quibus, quoniam per se nihil novi afferunt, sed tantum rem antea jam designatam ad effectum deduci, hic disserere non alienum puto: IV 8, 4: *καὶ αἱ μὲν νῆες ἔπλεον κατὰ τὰ ἐπεσταλμένα κτε.*, VI 6, 3: *καὶ οἱ μὲν πρέσβεις — ἀπεστάλησαν ἐς τὴν Σικελίαν*, VIII 27: *καὶ οἱ μὲν — ἔμελλον βοηθήσειν*, cf. I 45, 4. 58, 2. II 23, 2. 70, 4. 85, 6. III 3, 4. 32, 3. 102, 7. 109, 3. V 42. VI 60, 4. 96, 3. VII 20, 3. 21, 5. 60, 3; etiam hic saepe praeterea alia facta adduntur. Id certe semper tenendum est transitum fieri non nisi tum dici posse, cum res ad quam transitur, longius explanatur.

Sed longius etiam procedere nobis licebit. Potest enim fieri ut longior narratio enuntiato per *μέν* introducto concludatur, res plane nova particula *δέ* incipiat; neque tamen illud enuntiatum quidquam repetit, sed narrationem de aliqua re ad finem perducit. Sic status rerum in Sicilia gestarum nova classe Atheniensium appropinquante concluditur VII 41, 4: *Καὶ οἱ μὲν ὡς ἐπιθησόμενοι κατ' ἀμφότερα παρεσκευάζοντο αὖθις· ἐν τούτῳ δὲ — παραγίγνονται*, cf. VIII 54, 4. Similiter I 103, 4. 145, 2. IV 25, 12. 44, 1. 123, 4. V 1. 3, 6. 5, 3. 30, 5. 82, 6. VII 1, 5. 33, 3. 51, 3. 69, 3. 72, 4. 78. 3. 82, 3. 85, 9. VIII 55, 3. 80, 3.

Hactenus de transitionibus quomodo expressae sint et quam late pateant. Nunc nostrum est contemplari, ex qua ad quam rem transitus fiat. Imprimis orationes quibus verbis concludi soleant operae pretium est nonnulla dicere. Atque ubi duae quidem orationes, quarum altera alteri respondet eamque redarguit, sibi oppositae sunt, prior oratio tali modo absolvitur: *τοι-*

αὖτα μὲν — *εἶπε· ὁ δὲ* — *τοιάδε* vel variata verborum collocatione *ὁ μὲν* — *τοιαῦτα εἶπε*, sequente *ὁ δὲ* — *ἔλεγε* vel *ἔλεξε τοιάδε*: I 36, 4. 53, 3. 72. 85, 3. II 88. III 41. 60. V 113. VI 15. 35. 81. Notandum igitur, si demonstrativum antecedit, *μέν* numquam post articulum, sed post demonstrativum collocari: *τοιαῦτα μὲν ὁ*, non *τοιαῦτα ὁ μέν* sequente *ὁ δέ*. Posterior oratio finitur formula *τοιαῦτα δὲ* — *εἶπε*: I 79. 87. III 49. 68. VI 88, *δὲ καί* I 44. II 90. Habemus igitur exemplum particulae *δέ* iterum exceptae, semelque etiam prior oratio particula *μέν* introducitur: I 31: *ἐς ἀντιλογίαν ἦλθον, καὶ οἱ μὲν Κερκυραῖοι ἔλεξαν τοιάδε*. Qualem particularum conjunctionem *μέν* — *μέν* — *δέ* — *δέ* apud nonnullos scriptores haud inusitatam, de qua doctissime disseruit Buttmannus in excursu XII ad Dem. Midianam, praeterea apud Thucydidem non legimus. Particulae *μέν* vero repetitionem quam Graeci *ἐπανάληψιν* vocant, nonnullis locis invenimus: V 72, 3: *τὸ μὲν τῶν Μαντινέων δεξιὸν τρέπει τοὺς Σκιρίτας* — *καὶ ταύτῃ μὲν ἡσσῶντο οἱ Λακεδαιμόνιοι κτε.*, cf. II 97. V 105. VIII 52. De I 45 v. p. 18, de I 87, 5—118, 3 p. 10. Sed talis particulae *μέν ἐπανάληψις* apud Thucyd. nonnisi in transitionibus invenitur, cum apud alios, imprimis Herodotum non raro post demonstr. quod relativo respondet, repetatur; exempla v. Bäuml. p. 167.

Quod VI 19 et 41 finita secunda oratione *μέν* legitur, offendere non debet, quoniam scriptor tertiam orationem quae utroque loco sequitur jam in mente habebat. Itaque non opus est cum Bekkero scribere *δέ*, v. Class. a. l. Ex quattuor orationibus in sociorum congressu Lacedaemone habito Corinthiorum orationi opposita est Atheniensium, Archidami Sthenelaïdae oratio. — Ceterae orationes quibus alia non respondet, demonstrativo *τοιαῦτα* cum *μέν* conjuncto clauduntur: I 145. III 15. IV 114, 3. VI 69. VII 48. 69; *μὲν δὴ τοιαῦτα* I 53. *τοσαῦτα* I 129. III 31. 52, 3. 104, 6. IV 88. V 10. VI 24. 35 41, 5. 93. VII 16. 49. 65, *μὲν δὴ τοσαῦτα* V 112, 3, *τοιάδε* VII 78. Post orationes indirectas etiam *μὲν ταῦτα* invenitur: V 27, 3. 37. VI 50. — Scilicet non unaquaeque oratio particula *μέν* concluditur, neque enim raro simpliciter partic. *εἰπών*, *εἰπόντος* vel talia leguntur: II 65. III 31. Plane vero singulare

est, si oratio verbo finito sine *μέν* finitur, quod legimus I 125: *τοιαῦτα οἱ Κορίνθιοι εἶπον· οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι*. Nam exempla a Class. allata nihil docent, quia in eis verbum comprehendens participio expressum est. Omnino sine propria formula orationes clauduntur V 112, 1. 114, 1: *καὶ οἱ μὲν* — *μετεχώρησαν* (*ἀνεχώρησαν*).

Certis porro transeundi formulis Thucyd. in temporis descriptione utitur, in transitu scilicet ex hieme ad aestatem et ex aestate ad hiemem. Quae uno anno gesta sunt plerumque quidem sine *μέν* vix uno verbo differente sic absolvuntur: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα οὗτος καὶ τρίτον ἔτος τῷ πολέμῳ τῷδε ὃν Θ. ξυνέγραψε*. Particula *μέν* usurpata est II 70, 5: *ταῦτα μὲν ἐν τῷ χειμῶνι ἐγένετο καὶ τὸ δεύτερον ἔτος κτε.*, cf. II 47. III 116. Aestatis res sic comprehenduntur: II 68, 9: *τοσαῦτα μὲν ἐν τῷ θέρει τούτῳ ἐγένετο· τοῦ δ᾽ ἐπιγενομένου χειμῶνος*, cf. II 32. IV 88, 2. III 18, 5. V 36. — Sollemnes sunt particulae *μέν* — *δέ* in aciei utriusque exercitus instructae descriptione: *καὶ οἱ μὲν* — *οὕτως ἐτάξαντο· οἱ δ᾽ ἐναντίοι*: I 48, 4. IV 93. V 62, 2. Alteram exercitus alam vincere alteram superari adhibitis *μέν* — *δέ* legimus I 49, 6. II 91. V 72, 4. VII 24. Finis denique pugnae designatur III 78, 4: *ἡ μὲν οὖν ναυμαχία τοιαύτη γενομένη ἐτελεύτα ἐς ἡλίου δύσιν*, cf. V 74. I 51, 3. III 108, 3. VII 24, 1. 34, 8.

Prope accedunt ea exempla, ubi ad ea quae adversarii agunt transitur, velut VI 32, 2: *καὶ οἱ μὲν ἐς τὴν Κέρκυραν ἠπείγοντο ἀφικέσθαι· ἐς δὲ τὰς Συρακούσας ἠγγέλλετο*, II 20: *Τοιαύτῃ μὲν διανοίᾳ ὁ Ἀρχίδαμος περὶ τὰς Ἀχαρνὰς ἦν. Ἀθηναίοις δὲ δεινὸν ἐφαίνετο*, cf. II 5, 5. 18, 1. IV 32, 2. 106, 3. VI 72. VII 2, 5. 49, 4. 50, 4. 57, 10. VIII 24, 6. 79. 4.

Ad aliam ejusdem rei partem transitus fit VI 2, 7: *βάρβαροι μὲν οὖν τοσοίδε* — *Ἕλληνες δέ*, cf. IV 118, 4; et in orationibus I 123: *Τὰ μὲν οὖν προγεγενημένα τί δεῖ* — *αἰτιᾶσθαι; περὶ δὲ τῶν μελλόντων κτε.* Tales in orationibus transitiones confer I 40. 41. 143, 3. II 43. 89, 9. III 55. 62, 6. 64, 5. IV 62. V 105, 3. VI 90. — II 13, 6. 71, 3. VI 91.

Majores narrationis partes ibi absolvuntur, ubi ad aliam belli sedem transitur. Ita in extremo septimo libro res in Sicilia gestae concluduntur: *Ταῦτα μὲν τὰ περὶ Σικελίαν γενόμενα.*

Ἐς δὲ τὰς Ἀθήνας κτε., IV 41, 4: ταῦτα μὲν τὰ περὶ Πύλον γενόμενα· τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους, II 54, 6; aliis locis sine ellipsi verbi finiti: τὰ μὲν κατὰ s. περὶ — οὕτως ἐγένετο s. ἐτελεύτησεν: I 110, 5. 138, 6. III 50, 3. 68, 5. 114, 4. Verbum aliquanto certius definitum habemus VIII 98, 4: τούτῳ μὲν τῷ τρόπῳ Οἰνόην ληφθεῖσαν Βοιωτοὶ κατέλαβον κτε., II 29, 6. 78, 4: hic enuntiatum a pronomine demonstr. incipit, quod sequitur VIII 38, 5 et III 6, 2: καὶ τὰ μὲν περὶ Μυτιλήνην οὕτως ἐπολεμεῖτο. IV 52, 4: καὶ οἱ μὲν ταῦτα παρασκευάζεσθαι ἔμελλον· Ἀθηναῖοι δέ κτε., cf. III 24, 3. VII 19, 3. 25, 3. 34, 8. VIII 52. 85, 4. 88. Additamenta vide: I 93, 8. III 18, 5. IV 119, 3. VII 30, 4. VIII 59. Neque raro sine ulla repetitione μέν longiorem enarrationem finit, cum δέ ad alium locum traducat: IV 25, 12: Μετὰ δὲ τοῦτο οἱ μὲν ἐν τῇ Σικελίᾳ Ἕλληνες ἄνευ τῶν Ἀθηναίων κατὰ γῆν ἐστράτευον ἐπ' ἀλλήλους. Ἐν δὲ τῇ Πύλῳ κτε., I 101, 3. 103, 4. V 1. 3, 6. 5, 3. VIII 54, 4. 80, 3.

Haec de transitionibus in universum mihi dicenda esse videbantur. Unam rem quae commemoratione mihi digna esse videtur, nunc appendicis loco tractare liceat. Saepe enim μέν quae ad aliquam rem praeparata sunt vel descriptionem vel consilium breviter comprehendit, facti ipsius narratio per δέ incipit, velut II 9, 6: Ξυμμαχία μὲν αὕτη ἑκατέρων — ἦν. Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι — περιήγγελλον — στρατιὰν παρασκευάζεσθαι, II 34, 7: Ὧδε μὲν θάπτουσι καὶ διὰ παντὸς τοῦ πολέμου χρῶνται — ἐπὶ δ' οὖν τοῖς πρώτοις τοῖσδε Περικλῆς ᾑρέθη, IV 77: ἡ μὲν οὖν ἐπιβουλὴ τοιαύτη παρεσκευάζετο· ὁ δὲ Ἱπποκράτης κτε., cf. IV 31, 3. V 28, 3. VI 50. VII 58, 5. In Plataeensium obsessione III 20, 4 quae ab obsessis ad clandestinam egressionem praeparata sunt his verbis absolvuntur: τὴν μὲν οὖν ξυμμέτρησιν — οὕτως ἔλαβον. Tum, τὸ δὲ τεῖχος ἦν, sequitur muri qui transcendendus est descriptio. Qua verbis τὸ μὲν οὖν τεῖχος — τοιοῦτον ἦν finita ad susceptum opus ipsum transitur: οἱ δ' ἐπειδὴ παρεσκεύαστο — ἐξῄεσαν. Verbis ἐν δὲ τούτῳ vel ἐν τούτῳ δὲ eventum aliquod significatur, quo res incepta impeditur: VI 27. IV 13.

IV.

Temporalem parataxim particularum μέν et δέ, qua significatur aliqua re perfecta aliam fieri, latissime patere notum est; nec scio quid Thucydidi in ea re proprium ac peculiare sit. Quod jam saepe in transitionibus cernitur: I 53, 3: οἱ μὲν δὴ τοιαῦτα εἶπον· τῶν δὲ Κερκυραίων κτε. Tempus ipsum in priore membro et propriis verbis exprimitur qualia sunt πρῶτον μέν, ὀλίγον μὲν χρόνον, τὸ παραυτίκα μέν, ἐπὶ μὲν ἓξ ἔτη, δύο μὲν ἡμέρας, τῇ μὲν προτέρᾳ, ἐπὶ πολὺ μέν, quas formulas in posteriore membro sequi solet ἔπειτα vel ἔπειτα δέ, μετὰ δὲ τοῦτο V 78 — et omittitur, ut IV 107: ὁ δὲ πρὸς μὲν τὴν Ἠιόνα ἀμφοτέρωθεν ἀπεκρούσθη, τὰ δὲ περὶ τὴν Ἀμφίπολιν ἐξηρτύετο, cf. I 117, 3. Evenit etiam ut tempus in posteriore modo membro definiatur: I 134, 4: ἐμέλλησαν μὲν — ἔπειτα ἔδοξε κτε., V 10, 11: ᾔσθετο μὲν ὅτι νικῶσιν —, οὐ πολὺ δὲ διαλιπὼν ἐτελεύτησε, cf. III 4, 2. 5, 2. 24, 2. VIII 11, 2. 44, 2; εὐθύς: V 74. 114. VI 56, 2.

Sed haec trita sunt neque digna de quibus copiosius disseratur. Non adeo vulgare est etiam causam rei in posteriore membro significatae in priore per μέν exprimi. Quem usum equidem non inveni apud ullum editorem vel in grammaticis observatum esse; neque tamen exempla quae afferam dubitationem admittunt. Scilicet μέν — δέ semper duas res sibi opponunt, quam oppositionem ut nos quoque quam maxime in vertendo servemus recte flagitant. Eo enim Graecorum paratacticae oppositionis studium processit, ut ejus gratia etiam causalem rationem verbis convenientibus exprimere dimitterent. Sententia modo ipsa verborum rationem causalem perspicue indicat, quae semel, VI 78, 2: εἴ τις φθονεῖ μὲν ἢ καὶ φοβεῖται —, διὰ δὲ αὐτὰ τὰς Συρακούσας κακωθῆναι βούλεται, etiam verbis indicatur. Prius membrum negativum est I 75, 2. 125, 2. 136, 3. III 52, 2. IV 4, 2. 33, 2. 35, 3. 129. VII 43, 2: quia alterum non fit vel fieri non potest, alterum efficitur. Affirmativum: VII 44, 2: ἦν μὲν γὰρ σελήνη λαμπρά, ἑώρων δὲ οὕτως ἀλλήλους ὡς ἐν σελήνῃ εἰκός, cf. IV 21, 2. 129. Etiam I 36, 3: τρία μὲν ὄντα λόγου ἄξια — ναυτικά —, τούτων δ' εἰ περιόψεσθε, nec minus I 73, 2: ἐπ' ὠφελίᾳ ἐκινδυνεύετο, ἧς τοῦ μὲν ἔργου μέρος μετέσχετε, τοῦ δὲ λόγου

μὴ παντὸς στερισκώμεθα, ubi verba *τοῦ μὲν ἔργου* modo oppositionis causa addita esse constat.

V.

De particularum in partitionibus usu, qui nimirum ex paratactica earum vi, qua duobus subjectis diversa praedicata attribuuntur, natus est, cujusque in unaquaque pagina exempla plura videntur, multa verba facere supersedeo. Id modo dico totum cujus partes per *μέν* et *δέ* significantur, saepe genetivo partitivo, saepius casu appositivo exprimi, ita ut et dicatur *τῶν ἀνδρῶν τοὺς μὲν — τοὺς δέ* et *τοὺς ἄνδρας τοὺς μὲν — τοὺς δέ*. Illius modi apud Thucyd. exempla inveni quinquaginta, hujus quinque et nonaginta. Ex genetivo ad nominativum transitur II 80, 5: *Ἑλλήνων μὲν — βάρβαροι δέ*. VII 13, 2 Classenii sententiam *τῶν ναυτῶν* esse genet. partitivum antepositum, cujus prima pars sit *τῶν μέν*, sustineri non posse puto, sed *τῶν* delendum esse, v. Stahlium in Popponis editione. Neque magis cum Class. consentio V 54, 5, ubi *ὧν τινες οἱ μέν* idem esse dicit quod *ὧν οἱ μέν τινες*; sed illic *τινες* iterum dividuntur, hic *τινες* est quidam. Illud hic dictum esse non posse sensus docet, quare aut *τινες* delendum aut collocatio mutanda est, *οἱ μέν τινες* legitur saepius: III 20, 2. II 4, 4. 91, 4. IV 113, 2. Plura etiam exempla sunt, ubi partes non a substantivo totum significante pendent, sed per se stant. Saepissime alicujus rei antea nominatae partes exponuntur per *καί* annexae: V 62, 1: *ἐβουλεύοντο καὶ οἱ μὲν ἐπὶ Λέπρεον ἐκέλευον, Μαντινῆς δὲ ἐπὶ Τεγέαν*, cf: VI, 44, 2. In enumeratione classis partium Thucyd. civitates non ex geographico ordine componit, sed eas quae eundem numerum comparant, una collocat, VIII 3, 4: *καὶ ἑαυτῶν μὲν καὶ Βοιωτοῖς πέντε καὶ εἴκοσιν ἑκατέροις ἔταξαν, Φωκεῦσι δὲ καὶ Λοκροῖς πεντεκαίδεκα καὶ Κορινθίοις πεντεκαίδεκα, Ἀρκάσι δὲ — δέκα*, similiter V 74. VIII 106, 3. Itaque I 46, 2 conjicio legendum esse: *ἦσαν δὲ Ἠλείων μὲν δέκα καὶ Λευκαδίων δέκα, Μεγαρέων δὲ δώδεκα, Ἀμπρακιωτῶν δὲ κτε.* Cur Leucadii et Megarenses per *καί* conjuncti sint, causa nulla inveniri potest, cum Eleis Leucadii navium numerum communem habent.

Res quae per *μέν* et *δέ* fusius explicantur, in enuntiato antecedente jam nominatae varium in modum copulantur, ac

simplicissime quidem id fit per *καί*, ut III 54, 3: *τὰ δ'ἐν τῇ εἰρήνῃ καὶ πρὸς τὸν Μῆδον ἀγαθοὶ γεγενήμεθα, τὴν μὲν οὐ λύσαντες —, τῷ δὲ ξυνεπιθέμενοι*, saepius etiam per *τέ — καί*. Praeterea talem duarum vel trium rerum expositionem videmus post *οὐ μόνον — ἀλλὰ καί* II 62, 4, *ὁμοῖος καί* I 143, 4, *οὐδέ* I 142, 2—6, *οὔτε — οὔτε* VII 36, 4. VIII 92, 11, *ἤ* II 53, 3. IV 62, 2. 128, 4. III 42, 2, post comparativum I 74, 2. 77, 4. 141, 5. II 42, 4. III 37, 4. 63, 5. 82, 2. IV 86, 5, post *μέν — δέ* II 87, 5. III 84, 2. V 46, 1. VI 72, 1. VIII 30, 2, post *δύο* III 57, 3. IV 87, 3. V 3, 4, *τρία* I 74, 1. VII 43, 4, *ἑκάτεροι* II 7, 2. 3. 9, 2—5. I 54, 2. V 23, 5. VII 70, 7. VIII 6, 2, *ἀμφότεροι* IV 23, 2. 43, 2. VI 72, 4. 87, 2. VII 57, 6. 71, 1, *μηδέτεροι* V 14. VII 34, 6. VIII 60, 3. Expositio ipsa annectitur participio, genet. partitivo (*ὧν τὸ μὲν — τὸ δέ*) I 68, 4. III 42, particulis *καὶ, γάρ* aliis; neque semper membra eodem ordine repetuntur, sed quod antea secundo loco commemoratum erat, in expositione primum locum tenet, ut III 82, 4: *ῥᾷον κακοῦργοι ὄντες δεξιοὶ κέκληνται ἢ ἀμαθεῖς ἀγαθοί, καὶ τῷ μὲν αἰσχύνονται, ἐπὶ δὲ τῷ ἀγάλλονται*, cf. V 16, 1. Verba porro quae in expositione per *μέν* et *δέ* sibi opponuntur, partim per pronomina *ὁ μέν* et *ὁ δέ* excipiuntur, partim ipsa repetuntur, imprimis si expositio longior est aut si per se non constat quidnam cui respondeat. Fit quoque ut verba in expositione non eadem repetantur, sed synonyma supponantur, sic II 62, 4 apud *μέν*, II 53, 4 apud *δέ*, I 143, 4 in utroque membro. Contrariorum alterum in priore membro pronomine excipitur, cum in secundo alterum repetatur: I 84, 3: *πολεμικοί τε καὶ εὔβουλοι —, τὸ μὲν —, εὔβουλοι δέ*, cf. VIII 78. I 142, 2—6. II 53, 4. VI 72, 4. Singulariter VII 36, 4 ad *τὸ μὲν* et *τὸ δέ* verba ipsa ad quae chiastico ordine respiciunt, *διεκπλεῖν* et *ὥστε μὴ περιπλεῖν* adduntur. Possit quidem comparari VII 57, 6: *Ῥόδιοι δὲ καὶ Κυθήριοι, Δωριῆς ἀμφότεροι, οἱ μὲν Λακεδαιμονίων ἄποικοι, Κυθήριοι, — Ῥόδιοι δέ κτε.*, nec non VII 86, 3: *τὸν μὲν — Δημοσθένην, τὸν δὲ —*. Sed his locis substantivum tantum ad prius membrum repetitum est. Illic vero utrum utri respondeat dubium esse non posse puto itaque verisimillimum videtur, etsi obloquitur Classenius, cum Cobeto et Stahlio illa verba ut glossemata ejicienda esse. Scilicet

in utraque lectione collocatio verborum τὸ μέν scrupulos movere potest, exspectatur enim sic αὐτοί etiam posterioris membri subjectum esse: debuit scribi τὸ μὲν γὰρ αὐτοί.

VI.

Particulae μέν et δέ diversitatem rerum indicant. Itaque ubi contrariae res sibi opponuntur, illae locum tenent. Quomodo ex eo usu ad partitiones translatae sint vidimus. Iam vero hinc facile intellegitur non longam esse viam ad eum usum, ubi particulae duas res simpliciter copulant, ubi nos vertimus „und“. Scilicet plerumque etiam in eis exemplis quae huc trahemus oppositionis vis non plane evanuit. Sed ea est differentia: Graeci oppositionem indicare ibi quoque solent, ubi nos nihil nisi duarum rerum conjunctionem intellegimus. Quod fit cum in partitionibus ipsis tum si subjecta membrorum contraria, praedicata vero paria vel similia vel certe non contraria sunt. Tum enim nos particulis copulativis utimur, Graeci adversativis. Sic VI 55, 3 per μέν et δέ duae significantur condiciones minime contrariae, sed quarum alteram alteram sequi necesse est. Crebro etiam objectum vel aliam enuntiati partem in secundo membro contrarium suum sequitur, sententiae vero non oppositae sunt, VII 5, 4: διανοεῖσθαι οὕτως ὡς τῇ μὲν παρασκευῇ οὐκ ἔλασσον ἕξοντας, τῇ δὲ γνώμῃ οὐκ ἀνεκτὸν ἐσόμενον κτε., IV 17, 2: ἔχουσι μὲν ὧν κρατεῖτε, προσλαβοῦσι δὲ τιμὴν καὶ δόξαν, cf. I 138, 3. Omnino de copulativo sententiarum nexu dubitari non potest, ubi secundum membrum aliquid addit quod necessarium prioris supplementum est vel alteram ejusdem rei partem continet, imprimis si prius membrum negativum est, ita IV 57: οἱ Αἰγινῆται τὸ μὲν ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ τεῖχος ἐκλείπουσιν, ἐς δὲ τὴν ἄνω πόλιν ἐν ᾤκουν ἀπεχώρησαν, V 44: οἱ Ἀργεῖοι τῶν μὲν ἐν Λακεδαίμονι πρέσβεων ἠμέλουν, πρὸς δὲ τοὺς Ἀθηναίους μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον, cf. VIII 76, 2, quibus exemplis oppositionem quidem objecti inesse apparet, sed nos tamen conjunctionibus copulativis fere utimur. Item ubi prius membrum affirmativum est: II 59, 2: καὶ τὸν μὲν Περικλέα ἐν αἰτίᾳ εἶχον ὡς πείσαντα —, πρὸς δὲ τοὺς Λακεδαιμονίους ὥρμηντο ξυγχωρεῖν, cf. VI 89, 2. III 62, 4. Etiam in simplici narratione ubi res

antea breviter significata uberius exponitur, singuli gradus per μέν — δέ — δέ significantur. Atque ut alibi alia res alii per δέ annectitur, eodem modo hic, sed ita ut primo membro μέν addatur uberiorem enarrationem incipi significans. Cujus generis est II 95, 2: ξύλα μὲν οὖν τέμνοντες — παρῳκοδόμουν ἑκατέρωθεν, ἐφόρουν δὲ ὕλην ἐς αὐτὸ κτε., cf. I 138, 5. IV 90, 1. III 21: εἶχε μὲν — διεῖχον δέ, VI 1. 2 Σικελίας γὰρ περίπλους μέν ἐστιν —, ᾠκίσθη δὲ ὧδε, cf. I 24, 2. IV 125, 1: νομίσαντες πολλαπλασίους μὲν ἢ ἦλθον ἐπιέναι, ὅσον δὲ οὔπω παρεῖναι, IV 120. V 7, 2. 108. VI 12, 2. VIII 67, 2. 82, 3. Duae qualitates sic conjunguntur VI 97: ἔστι δὲ χερσόνησος μὲν ἐν στενῷ ἰσθμῷ προύχουσα, τῆς δὲ Συρακοσίων πόλεως — ἀπέχει, IV 56, 2. III 37, 4: οἱ δ' ἀμαθέστεροι μὲν τῶν νόμων ἀξιοῦσιν εἶναι, ἀδυνατώτεροι δὲ τοῦ καλῶς εἰπόντος μέμψασθαι λόγον, cf. V 91, 2. VI 8, 4. VII 67, 3. VI 64, 2, et in appositione III 13: προφάσεις καὶ αἰτίας σαφεῖς μὲν — γνῶναι —, ἱκανὰς δὲ — μέμψασθαι, III 102, 2: Μολύκρειαν, τὴν Κορινθίων μὲν ἀποικίαν, Ἀθηναίων δὲ ὑπήκοον, cf. III 58, 4. V 43, 2. VI 62, 3.

Similiora membra fiunt, si verba per μέν et δέ sibi opposita non modo eandem formam, sed etiam similem vim habent vel plane eadem sunt. Est haec notissima res quam Graeci ἀναφοράν nominant. Sic eadem verba in anaphora cum μέν et δέ ponuntur: I 85, 2: πέμπετε, VI 88, 6: ἔπεμψαν, I 126, 12: ἤλασαν, III 38, 1: θαυμάζω, numeri: II 102, 1. VI 104, 1. VII 43, 4. VIII 35, 1, πολύς: I 49. II 8 (bis). VI 20, 4. VII 24,2. 67, 2. 70, 3. 77, 1, πᾶς: II 41, 5, τὰ μὲν — τὰ δέ adverbialiter posita: I 18. 123. II 46. IV 108, 4. VII 48, 4. 70, 6. VIII 31, 4, ἅμα II 20, 4. III 115, 4. IV 103, 5. 130, 5. 132, 2. VII 5. 68. 84, 2. VIII 1, 2. 47, 1, ὁτέ VII 27, 4, ὡς I 40, 1. VI 2, 2, εὖ III 42, 2, εἰ I 53, 4. II 65, 4. III 65, 2. IV 32. 99. V 87, 1. VI 29. 34, 5. VII 44, 5. 79, 5; ἤν VII 60, 2, pronomen relat.: I 70, 7. 87, 2. 138, 3. III 64, 4. 66, 3. IV 108, 4, praepositiones ἀντί VII 75, 7, ἀπό: VIII 46, 3, ἐκ II 22, 3. 99, 3, ἐν V 46, 1. 47. VII 44, ἐπί II 93, 4. III 79, 3, κατά II 37, 1. VIII 108, 4, περί IV 118. V 30, 4, πρός I 80, 3. II 87, 5. Iam de anaphorae natura et quoad a scriptore quaesita sit pauca dicenda sunt. Id vero jam constat naturam particularum per

se jam rhetoricam anaphora augeri, lateque patet ejus usus et apud poëtas et apud oratores. Thucydides vero eam rhetoricam machinam non adeo amavit, ut sententia est eorum qui eum prorsus rhetorem esse volunt. Nam etiamsi numerus eorum locorum quos supra congessimus minime parvus est, tamen alii non rari obstant qui demonstrent a Thucydide anaphoram non quaesitam esse. Praeterea ex illorum numero particulae repetitae sane nihil docent, quoniam id e natura earum necessario efficitur; ei solum loci quattuor, quibus verbum repetitum est, et fortasse ubi *πολύς*, aliquam in partem illorum sententiam corroborare possint. Contra moneo haec: vel in ipsis particulis tantum aberat ut anaphoram quaereret, ut non minus saepe variaret. Ita conjunctioni *εἰ* participium respondet III 11, 1. 42, 3. IV 120, 2. VII 71, 3, alii conjunctioni II 79, 6. III 54. 97, 3. VI 18, 6, praepositionem partic. sequitur I 21, 2. III 82, 1. V 17, 1, cf. VI 45: *ἔνθα μὲν — πρὸς δὲ τούς*, VI 66.: *τῇ μὲν γὰρ — πρὸς δὲ τό*, VIII 95, 6: *ὅσοι μὲν — οἳ δέ*. Numerum in secundo membro sequitur *ἴσος*: I 115, 3. III 75, 2. V 20, 3. — I 58: *πέμψαντες μὲν καὶ —, ἐλθόντες δὲ καί*, III 33: *ἦλθε μὲν καὶ — ἀφικνεῖτο δὲ καί*. Aliter res se habet VIII 1: *χαλεποὶ μὲν ἦσαν — ὠργίζοντο δὲ καί*, ubi verba non plane eandem vim habent; similiter II 97, 1. VI 75, 4. VIII 5, 4: *πρὸς μὲν Ἆγιν οὐκ ἐτράποντο, ἐς δὲ τὴν Λακεδαίμονα*, ubi altera praepositio alteri non sine differentia significationis opponitur. Sed quod maxime rem significat, variata verborum collocatione anaphora non quaesita, paene dixi vitata est, ut V 105, 4: *πρὸς σφᾶς μὲν αὐτοὺς — πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους*, ubi quid impedit quominus dicatur *πρὸς μὲν σφᾶς αὐτούς*? cf. III 39, 1. 63, 4. IV 17, 2. VII 46. 57, 4.

Non multo minus significanter quam in plena anaphora particularum vis copulativa in oppositione verborum synonymorum cernitur, cujus generis est III 9, 2: *ἴσοι μὲν τῇ γνώμῃ ὄντες καὶ εὐνοίᾳ, ἀντίπαλοι δὲ τῇ παρασκευῇ*, V 113: *τὰ μὲν μέλλοντα — τὰ δὲ ἀφανῆ*, VI 47: *ἐπιδείξαντας μέν — δηλώσαντας δέ*, II 38, 5: *ἀγῶσι μέν γε καὶ θυσίαις διετησίοις νομίζοντες, ἰδίαις δὲ κατασκευαῖς εὐπρεπέσιν*: *ἀγῶνας* publica certamina esse privatis institutis opposita apparet, cf. VI 62, 1.

Separatim mihi ea exempla tractanda sunt, ubi duae vel

plures causae afferuntur, quae saepissime a Thucydide particulis *μέν* et *δέ* copulantur. Sic I 33: *γενήσεται κατὰ πολλὰ καλὴ ἡ ξυντυχία — πρῶτον μὲν ὅτι — ἔπειτα — τέ*, eadem enuntiati forma invenitur I 121, 2. III 47, 2. Saepius *ἅμα* in argumentationibus adhibetur: III 11, 3: *ἅμα μὲν γὰρ — ἐν τῷ αὐτῷ δέ*, III 115, 4: *ἅμα μὲν γὰρ ἡγούμενοι — ἅμα δὲ βουλόμενοι —*, IV 132, 2: *ἅμα μὲν κελεύοντος, ἅμα δ' αὐτὸς οὐκέτι βουλόμενος κτε.*, cf. II 20, 4. IV 103. 5. 130. VII 84, 2. VIII 1, 2. 47. *Ἅμα* in secundo modo membro usurpatum est IV 6 et VI 6. Aliam formulam habemus IV 108, 7: *τὰ μὲν καὶ φθόνῳ — τὰ δὲ καὶ βουλόμενοι.* Sine additamento nudae particulae inveniuntur I 118, 2: *ὄντες μὲν καὶ πρὸ τοῦ —, τὸ δέ τι καί κτε.*, II 13, 2: *θαρσεῖν τε ἐκέλευεν προσιόντων μὲν — ὑπαρχόντων δέ —*, cf. II 22. III 10. 22. 58, 4. IV 34, 3. 55. 17. 108. V 14, 3. Verbis finitis causae exprimuntur II 87: *ἡ μὲν γενομένη ναυμαχία —, ὑμῶν δὲ οὐδ' ἡ ἀπειρία κτε.*, VI 16, 2: *διότι ἅρματα μὲν ἑπτὰ καθῆκα, ἐνίκησα δέ κτε.*, cf. IV 87, 3. VII 70, 3. — Secunda causa ut major elevatur I 90: *τὰ μὲν καὶ αὐτοὶ ἥδιον ἂν ὁρῶντες —, τὸ δὲ πλέον τῶν ξυμμάχων ἐξοτρυνόντων*, similiter VIII 47, 1. VII 57, 10: *ἅμα μὲν —, τὸ δὲ πλέον*, V 43: *ᾧ ἐδόκει μὲν καὶ ἄμεινον εἶναι —, οὐ μέντοι ἀλλὰ καὶ φρονήματι φιλονικῶν ἠναντιοῦτο.* — In argumentationibus id quoque commemoratione dignum est tertiam causam semper particula *τέ* introduci excepto III 22. Sed hic verba *ἅμα δὲ διέχοντες πολὺ ᾖεσαν* quasi parenthetice inserta sunt. — In omnibus vero exemplis nihil aliud significatur nisi causarum varietas, ita ut alteram subsecuturam esse jam in priore membro particula *μέν* addita indicetur.

Copulativa particularum vis porro ibi cognoscitur, ubi in secundo membro aliqua gradatio fit, quae clarissime cernitur in adjectivi comparativo, velut VI 23, 3: *εἰδὼς πολλὰ μὲν ὑμᾶς δέον εὖ βουλεύσασθαι, ἔτι δὲ πλείω εὐτυχῆσαι*, V 71, 2: *περιέσχον μὲν —, ἔτι δὲ πλέον*, VII 8: *πολλάκις μὲν καὶ ἄλλοτε —, μάλιστα δὲ καὶ τότε*; IV 70: *βουλόμενος μὲν — τὸ δὲ μέγιστον*, cf. 72. I 67, 4. III 23. VII 65. Gradationem etiam III 40 intellego: *ἄκοντες μὲν γὰρ οὐκ ἔβλαψαν, εἰδότες δὲ ἐπεβούλευσαν*, I 33, 2. III 82, 6. V 113, 2.

VII.

Sequitur jam ut disseramus de varia ratione, qua duobus membris, quae particulis *μέν* et *δέ* inter se conjuncta sint, tertium annectatur; qua in quaestione in unoquoque exemplo investigandum est verene nova res addatur an forte illa res ad secundum membrum pertineat eique subjecta sit, nec minus tertium membrum primone atque secundo simul an secundo solum oppositum sit. Apparet autem tria membra ut paris momenti sint nonnisi in partitionibus accidere posse, et in hoc quidem genere notum est tribus membris inseri particulas *μέν — δέ — δέ*, itemque in sequentibus si plura sunt membra particulam *δέ* usurpari. Quae ratio apud rerum scriptorem, quippe cui saepe enumerandum atque partiendum sit, pervulgata est. Sufficit nonnulla deligere quae saepius inveniuntur. Atque ei partitioni quidem quae vulgarissima est, nempe *οἱ μέν — οἱ δέ*, nova res additur talibus modis atque exemplis: *οἱ δέ* VI 30. 76, 3. 77, 2. VII 28, 3, *οἱ δέ τινες* VIII 94, 3, *εἰσὶ δ᾽οἵ καί* I 23, 2. VII 13, 2, *εἰσὶ δὲ καὶ οἵ* VII 57, 3, *ἄλλοι δέ* II 4, 4 (ubi quarto loco *τὸ δὲ πλεῖστον*), IV 96, 7 (4: *οἱ δέ*). VII 37, 3. 71, 6. VIII 87, 3, *ἄλλοι δὲ καί* VI 35. Post *πρῶτον μέν — ἔπειτα* legimus *ἔπειτα* III 22, 3, verbum cum *δὲ καί* iteratum II 96: *ἀνίστησιν οὖν πρῶτον μὲν —, ἔπειτα —, ἀνεκάλει δὲ καί — ἀνίστη δὲ καί*, VI 90, 2: *πρῶτον μὲν — μετὰ δ᾽ἐκείνους — ἔπειτα.* — Exercitus in acie instructus dispositus est: *μέσον μὲν ἔχοντες — ἐκ δεξιᾶς δ᾽αὐτῶν — ἐν ἀριστερᾷ δέ* II 81, 3 et similiter I 48, 4. IV 93, 4. V 67, 1. 2. VI 67. VIII 104, 3. In exercitibus vel classibus aut discernitur, cujus civitatis singulae partes sint: I 46. II 22, 3. IV 70. V 57, 2. 84, 1. VII 57, 3. 4. 9. 57, 10. 58, 3. VIII 3. 35. 106, 3 aut enumerantur copiarum genera: IV 94 *οἱ μὲν ὁπλῖται — ἱππῆς δέ — ψιλοὶ δέ*, cf. I 61, 4. VI 25: *τριήρεσι μὲν — ὁπλίταις δὲ — τὴν δὲ ἄλλην παρασκευήν.*

Praeterea talem particularum *μέν — δέ — δέ* conjunctionem invenimus, ubi membra non tam aequaliter sibi opposita sunt. Saepe enim *δέ* tertio loco subjungit non minoris momenti aliquid, sed grammatica constructione aliter expressum et solutius positum, III 37, 4: *ἀμαθέστεροι μὲν τῶν νόμων ἀξιοῦ-*

σιν εἶναι, ἀδυνατώτεροι δὲ τοῦ — μέμψασθαι λόγον, κριταὶ δὲ ὄντες ἀπὸ τοῦ ἴσου μᾶλλον — ὀρθοῦνται τὰ πλείω: ἀξιοῦσιν verbum fin. est prioribus membris, cum tertium novum verbum accipiat, cf. II 22, 3. VI 90, 2. VII 71, 6. 81, 4. VIII 44, 3. — III 22, 2 participialis constructio plane non respicitur. VI 76, 2: *τοὺς μὲν λιποστρατίαν, τοὺς δὲ ἐπ᾽ ἀλλήλους στρατεύειν, τοῖς δὲ — ἐπενεγκόντες κατεστρέψαντο*: ad priora membra partic. *ἐπενεγκόντες*, ad tertium verb. fin. *κατεστρέψαντο* supplendum est. Alia variatae tertio loco structurae exempla v. I 61, 4. III 33. IV 76, 3. VI 24, 3. 25. 69, 3. De I 117, 2 similibus locis.

Revera non triplex partitio est II 65, 2: *ἐλυποῦντο ὁ μὲν δῆμος ὅτι —, οἱ δὲ δυνατοὶ — ἀπολωλεκότες, τὸ δὲ μέγιστον, πόλεμον ἀντ᾽ εἰρήνης ἔχοντες*: dubitari non potest quin verba *τὸ δὲ μέγ.* qu. seq. non solum ad *οἱ δυνατοί* pertineant, sed etiam ad *ὁ δῆμος*. Clarius sententia ita fere expressa esset: *ἐλυποῦντο μὲν καὶ ἄλλως ἰδίᾳ, ὁ μὲν —, οἱ δὲ —, τὸ δὲ μέγιστον πάντες.* Similiter VI 23, 2 cogitari potest: *εἰδὼς δέον μὲν ὑμᾶς πολλὰ μὲν —, ἔτι δὲ πλείω —, χαλεπὸν δέ κτε.*

Nec pauci sunt loci, ubi post *μέν — δέ* aliquid per *δέ* annectitur, cui cum primo membro nulla ratio intercedit, sed quod priori *δέ* aut aliquid opponit, ut III 6, 2: *τῆς δὲ γῆς τῆς μὲν ἄλλης ἐκράτουν οἱ Μυτιληναῖοι, τὸ δὲ περὶ τὰ στρατόπεδα οὐ πολὺ κατεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι, ναύσταθμος δὲ μᾶλλον ἦν αὐτοῖς — ἡ Μαλέα*, cf. III 58, 6. V 56, 3, aut aliquam rem minoris momenti adjungit: VI 31, 5: *τῆς μὲν πόλεως ὅσα —, τῶν δὲ ἰδιωτῶν ἃ —, χωρὶς δ᾽ἃ εἰκὸς ἦν κτε.* Sed in his exemplis vix de tribus membris enuntiati dici potest, quoniam utrumque *δέ* una particulae *μέν* opponitur. Itaque in universum nobis dicendum est tria enuntiati membra particulis *μέν — δέ — δέ* introducta ad sensum paris momenti esse.

In quarto membro nonnumquam *καί* adhiberi in talibus enumerationibus non mirum est. Tum res quarto loco posita apta est, quae totam rem absolvat, ut VI 88, 6: *ἔπεμψαν μέν —, ἔπεμψαν δέ —, περιήγγελλον δὲ καί —, καὶ τἆλλα ἐς τὸν περιτειχισμὸν ἡτοίμαζον*, cf. III 82, 4. IV 70.

Sed ne tertio quidem loco semper particulam *δέ* usurpatam esse videmus, non raro etiam *τέ*, idque non solum post *μέν — δέ*, sed etiam post *τέ — καί, καί* alias conjunctiones. Quam rem antea non satis consideratam Classenium in editione sua passim attigisse libenter agnosco. Exempla vero ad certam regulam revocare res est difficillima. Atque hoc quidem perlustranti mihi exempla constat ubique aliquid plane novi, quod omnino alius generis est quam quae priora membra continent addi, ita ut multo artiore necessitudine inter se conjungantur duo membra quae particulas *μέν* et *δέ* habent, quam cum tertio illo quod per *τέ* adjungitur. Scilicet ejusmodi jam nonnullos locos invenimus ubi tertio loco *δέ* positum est. Sed vidimus ibi particulam *μέν* quae ad priora membra simul pertineat et posteriori *δέ* respondeat suppleri posse, non ita ubi tertio loco *τέ* positum est. Tum enim liberius nova res applicatur ab illis prorsus diversa, itaque saepe structura quoque grammatica variatur. Illustretur res I 33, 1: tres causas Corcyraei afferunt quibus Athenienses ad foedus societatemque pangendam illicere student: primam offensis auxilium laturos, secundam summas gratias sibi conciliaturos esse, tertiam ipsos (Corc.) magnam classem possidere. Priores rationes sequi honestatis est, tertiam utilitatis, illae futuro designantur, haec praesenti. Simillima sunt I 121, 2. 143, 5. — V 14, 3: Lacedaemonii ad pacem propensi erant et propter externas calamitates (*μέν*) — aliter enim atque exspectaverant bellum evenerat et (*δέ*) Pyliam cladem graviter tulerunt, cum praesertim (*καί*) inde et Cytheris incursiones in ipsorum agros fierent — et (*τέ*) propter intestinam discordiam: helotes enim ad hostium partes transfugere studebant. Etiam I 138, 3: *καὶ ἃ μὲν μετὰ χεῖρας ἔχοι κτε. τέ* particulis *μέν* et *δέ* simul opponi apparet cum ex mutata forma enuntiati tum e verbis quae antecedunt, quorum expositio hic sequitur. Nam verba *ἃ μὲν μετὰ χεῖρας ἔχοι* et *ὧν δὲ ἄπειρος εἴη* explicant *τῶν παραχρῆμα κράτιστος γνώμων*, cum *τῶν μελλόντων* respondeat in nostro enuntiato *ἐν τῷ ἀφανεῖ*. Similiter III 9, 2 et IV 125 explicanda sunt. Itaque jam elucet quamobrem post duo membra per anaphoram eodem vel idem significante verbo introducta in tertio particula *τέ* usurpetur: scilicet priora membra, quibus etiam verbum fin. commune esse

solet, artius inter se copulata sunt, ita in anaphora adj. *πολύς*: II 8. VI 20, 4. 90. 3. VII 70, 3, *εἰ* IV 32, 3, *ἅμα* VIII 1, 2, ubi Athenienses magnitudinem cladis suae cognoscentes perditos et homines et naves (*ἅμα μέν — ἅμα δέ*) considerant et (*τέ*) hostes ne ex Sicilia contra se expeditionem faciant metuunt. VI 90, 3 Graeci et barbari navibus opponuntur, qualis partitio I 61, 4. VI 25 per *μέν — δέ — δέ* expressa est, v. p. 30, sed hic priora membra anaphora *ξύμπασαν μέν — πολλοὺς δέ* artius colligantur, ut sequatur *τριήρεις τε*. Post popularis imperii restitutionem VIII 21 Samii hostes partim necant partim exilio puniunt (*μέν — δέ*) et (*τέ*) ab Atheniensibus libertate eis decreta ipsi summam rerum tenuerunt, ubi Krueger injuria *δέ* conjecit. — *Τέ* porro ad duas res certius definitas aliquid quod latius patet annectit, ut III 84, ubi post superbiam et avaritiam commune ex malis gaudium moresque dissoluti commemorantur, cf. IV 34, 3: *κινδύνου τε πανταχόθεν περιεστῶτος*.

His quae enumeravi quindecim exemplis jure puto dici posse particulis *μέν* et *δέ* per *τέ* tertium membrum agglutinari, ita scilicet ut priora artius inter se copulata sint, tertium rem remotiorem continens solutius annectatur. Sunt alia exempla, ubi structura quidem paulum variatur, res autem secundo membro subjecta est: I 90, 2 Lacedaemonii Athenienses novorum murorum demolitionem poscunt, non veram causam proferentes, sed quod Persae munitum locum non habituri sint, unde excursiones faciant, et (*τέ*) Peloponnesum satis idoneum dicebant omnibus esse receptum: hic igitur negationem duae sequuntur affirmativae causae, sed cum ad *μέν* et *δέ* cum participiis conjuncta commune referatur verbum finitum *ἠξίουν*, ad *τέ* novum substituitur *ἔφασαν*, cf. IV, 6.

Atque his quidem locis *τέ* recte se habet. Nonnulli autem sunt loci, ubi injuria mihi Classenius particulae *τέ* vim de qua dicimus attribuisse videtur. Bene quidem ad IV 98 demonstravit *τοῦ μὲν ἱεροῦ — τὸν δὲ νόμον — ὕδωρ τε* inter se copulata esse. Dubito vero num III 34, 3 verba *τούς τε Ἀρκάδας — διαφθείρει* rem plane novam significent ac non potius artius ad verba *αὐτὸς δὲ προσβαλὼν — αἱρεῖ* trahenda sint. VIII 70 sine dubio opposita sunt quae quadringenti ipso

die conversionis rerum et quae postea in administratione rei publicae fecerunt; neque separatim rerum externarum administratio, quam Class. verbis *πρός τε Ἆγιν — ἐπεκηρυκεύσαντο* significari fingit, discernenda est. Neque magis II 89, 2 Classenio assentior putanti post *πρῶτον μέν — ἔπειτα* tertiam causam agglutinari, sicut fit I 33. 121, 2: Phormio enim militibus verbis *πρῶτον μέν κτε.* metum propter hostium fortitudinem demere vult. Atque huc pertinent quoque verba *Λακεδαιμόνιοί τε ἡγούμενοι — ἄκοντας προσάγουσι*, quibus, ut omnis dubitatio evanescat, addit: *μὴ δὴ αὐτῶν τὴν τόλμαν δείσητε.* I 132, 2 constat verbis *τά τε ἄλλα αὐτοῦ ἀνεσκόπουν* respondere *καὶ ὅτι ἐπὶ τὸν τρίποδα*, minimeque versimile est, quod Class. putat particulam *τέ* praeterea ad *φανερὸν μὲν εἶχον οὐδέν* et *ὑποψίας δὲ πολλὰς παρεῖχε* tertiam rem addere, cum praesertim hic *μέν* et *δέ* unam modo rem designent, cf. I 50, 1. Neque illius anomaliae Class. exempla attulit. Itaque cum Ullrichio et Stahlio ante *τά τε ἄλλα* inserere *καί* me non dubitare confiteor.

Contra recte Classenium I 53, 3 *εἶτα* defendisse puto contra Kruegerum et Stahlium *εἴ τε* scribentes. Apparet enim totius enuntiati momentum in verbis *εἶτα ἐν ἀδικήματι θήσονται* positum esse. Quod si scribimus *εἴ τε*, quam languide illa verba se applicant! Particulae *εἶτα* usum satis Class. exemplis comprobavit. Gaudeo quod L. Schmidt in observatt. Thucyd. Marbg. 1877 assensus est.

Hactenus de particularum *μέν — δέ — τέ* conjunctione. Exempla si comparamus cum eis, ubi in tertio quoque membro *δέ* legitur, videmus haec plerumque in simplici enarratione rerum aut partitione locum habere, illa in orationibus sive directis sive indirectis et in meditationibus quae orationes elocutione magnopere aequiparant, imprimis ubi causae afferuntur. Semel tamen in simplici exercitus partitione in tertia parte *τέ* traditum est: IV 32, 2: *ἐκ μὲν νεῶν —, τοξόται τε —, Μεσσηνίων τε οἱ βεβοηθηκότες καὶ ἄλλοι ὅσοι κτε.* Certissima quidem est Kruegeri correctio *τοξόται δέ* pro *τέ*, sed vellem etiam *τέ* quod sequitur mutasset in *δέ*. Nam equidem nescio cur Messeniorum praesentia, quorum numerus haud ita magnus

erat (c. 9), adeo prematur, quod fieret partic. *τέ* adhibita; indicaret enim genus militum longe diversum.[1])

Sed non jam satis est. In tertio enim enuntiati membro, quod quanta libertate atque varietate alligetur jam vidimus, post *μέν — δέ* etiam particula *καί* usitata est. Usurpatur autem, quod facile intellegitur, imprimis in partitionibus. Nemo certe anomaliam agnoscet in exemplis qualia habemus V 68, 3: *λόχοι μὲν γὰρ ἐμάχοντο ἑπτά, ἐν δὲ ἑκάστῳ λόχῳ πεντηκοστύες ἦσαν τέτταρες, καὶ ἐν τῇ πεντηκοστύι ἐνωμοτίαι τέτταρες*, vel III 94, 5: *πρῶτον μὲν — ἔπειτα — καὶ μετὰ τούτους*, cf. IV 78, 5. Verbis *καὶ τἆλλα* VI 8, 2. 16, 2 post duas res certius definitas aliquid additur quod latius patet. I 75, 3: *κατηναγκάσθημεν μάλιστα μὲν ὑπὸ δέους, ἔπειτα δὲ καὶ τιμῆς, ὕστερον καὶ ὠφελίας* particulam *καί* non copulativam esse, sed *καί* quod vocatur *ἐπιτατικόν* apparet. *Ὕστερον* autem num ut *ἔπειτα* sine *δέ* inferri possit dubito, itaque valde probabile mihi videtur quod Krueg. proposuit particulam *δέ* post *ἔπειτα* deletam post *ὕστερον* inserere.

Nonnumquam particula copulativa eo excusatur quod secunda et tertia pars aliquam notionem communem habent, VI 67, 2: *ἐβοήθησαν αὐτοῖς Σελινούντιοι μὲν μάλιστα, ἔπειτα δὲ καὶ Γελῴων ἱππῆς —, καὶ Καμαριναίων ἱππῆς κτε.*, V 73, 4: *ἀπέθανον Ἀργείων μὲν — ἑπτακόσιοι, Μαντινέων δὲ διακόσιοι, καὶ Ἀθηναίων ξὺν Αἰγινήταις διακόσιοι*, ubi *καί* valet und auch, und ebenso. In Niciae epistola VII 13, 2, ubi de tristi exercitus deminutione dicit participio *ἀπολλυμένων* solita ad verb. fin. transitione opponitur *αὐτομολοῦσι* et *ἀποχωροῦσι*, quae verba idem fere significant. IV 102, 2 non tria membra sunt, sed Athenienses Aristagorae opponuntur. Neque magis huc ea exempla trahenda sunt, ubi tertium membrum nihil est nisi continuatio secundi eique soli aliquid addit, explanat, illustrat: I 40, 4. IV 55, 2. 56. 90, 2 et IV 19, 2, nisi hic *καί* delendum est, *ἡγούμενοι* enim verbo *ἀντειπεῖν* causam affert. IV 129, 2 naves et copiae sic opponuntur: *ναυσὶ μὲν — ὁπλίταις δέ — καὶ τοξίταις.*

---

[1]) Liceat hoc loco adnotare in Class. editione et secunda et tertia I 31, 2 legi *μέρος τέ τι* pro *δέ τι*, quod ni fallor mendo typographico debetur.

Saepe particulae *μέν* et *δέ* non duas, sed unam sententiam continent. Quod fit imprimis in contrariis sive antithetis, II 61, 2: *ἐπειδὴ ξυνέβη ὑμῖν πεισθῆναι μὲν ἀκεραίοις, μεταμέλειν δὲ κακουμένοις, καὶ τὸν ἐμὸν λόγον μὴ ὀρθὸν φαίνεσθαι*, cf. 42, 4. VI 80, 4. I 36 (*καὶ ἅμα*). Ea quoque exempla huc pertinent, ubi primum membrum negativum est summaque sententiae vis in secundo posita est, ut VI 28: *μηνύεται οὖν περὶ μὲν τῶν Ἑρμῶν οὐδὲν, ἄλλων δὲ ἀγαλμάτων περικοπαί τινες — γεγενημέναι, καὶ τὰ μυστήρια ἅμα ὡς ποιεῖται ἐφ' ὕβρει*, cf. IV 55, 1.

VIII.

Venio ad particularum collocationem quae non raro nos offendit: nonnumquam enim substantivo subjunctae sunt, id quod maxime molestum est, si in uno enuntiato *μέν* post substantivum legitur, *δέ* vero ei quod respondet nomini praemittitur et vice versa, I 70, 6: *τοῖς μὲν σώμασιν — τῇ γνώμῃ δέ*, II 94, 2: *ταῖς μὲν ναυσί — τῷ πεζῷ δέ*, IV 95. *Μέν* postpositum est IV 126, 5: *τὴν μέλλησιν μέν*, cf. I 134. IV 133, 3. V 95. 107. VI 16, 5: *τοῖς ὁμοίοις μὲν μάλιστα*, ne formula *μάλιστα μέν* discinderetur. Plane ad arbitrium particulae apud praepositiones collocatae sunt, *μέν* inveni novies et vicies praemissum, septies et vicies subjunctum, *δέ* bis et tricies antepositum, novies decies postpositum. Sic in formulis *ἐν ᾧ μέν* I 21, 2. 37. 4, *ἐπὶ πολὺ μέν* VI 70, 3. VII 79, 6. VIII 1, *ἐν δεξιᾷ μέν — ἐν ἀριστερᾷ δέ* II 98, 2. III 106. Contra I 107, 3: *κατὰ θάλασσαν μέν*, III 30: *κατὰ μὲν θάλασσαν*, III 82: *ἐν μὲν εἰρήνῃ*, V 17: *ἐν εἰρήνῃ μέν*, II 86, 5: *ἐπὶ μὲν ἓξ ἢ ἑπτὰ ἡμέρας*, V 25, 3: *ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας*, IV 48: *ἐς μὲν ἄνδρας* 60, III 111, 4. VIII 21: *ἐς διακοσίους μέν τινας*. — VI 27, 1: *ἐν δὲ τούτῳ*, IV 122. VII 42, 1: *ἐν τούτῳ δέ*; V 47, 9: *Ἀθήνησι μὲν — ἐν Ἄργει δὲ — ἐν δὲ Μαντινείᾳ — ἐν δὲ Ἤλιδι*. Praeterea vide I 124, 2: *ἐκ πολέμου μέν — ἀφ' ἡσυχίας δέ*, III 38, 4: *μετὰ καινότητος μὲν λόγου — μετὰ δεδοκιμασμένου δέ*, V 7, 3: *ἐς μάχην μέν — κατὰ θέαν δέ*. — Si substant. cum adj. conjunctum est, particula inter utrumque ponitur, I 141, 7: *ἐν βραχεῖ μὲν μορίῳ*, VI 2, 6: *περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν*, cf. II 18. VIII 89, 3, adject. postpositum est VI 54, 4: *ἐν τρόπῳ δέ τινι ἀφανεῖ*.

Sed exploratio de particularum collocatione minime absoluta est. Jam enim quaestio nobis ordienda est difficillima et hucusque non satis tractata, quam instituere tamen ad naturam particularum recte cognoscendam prorsus opus est. In arta enim utriusque particulae copulatione atque relatione mirum videri potest tam saepe particulas non ei verbo additas esse, ad quod pertinere eas sententia docet: tamen unaquaeque pagina talia exempla praebet. Quam rem breviter admodum tangens Hartung II 415 particulas ad totum praedicatum vel enuntiatum pertinere dicit. Quod non ita esse demonstrare studebo: tam arte enim illae se applicant, ut si verbis non respondentibus additae sunt, certae causae inveniri possint. Quas quoad possum detegere et exempla ipsa per classes distribuere meum est.

Ut a simplicissimis rebus ordiamur, id quidem non offendet et vix huc trahendum est, quod saepe *μέν* et *δέ* inter verba collocata sunt quae unam notionem efficiunt itaque cum verbo opposito comparata speciem quandam dissimilitudinis praebent plerumque autem tum particula post id verbum posita est, quod gravissimum accentum habet. Ita fit ut saepe in altero membro particula cum verbo, in altero cum nomine conjuncta sit, I 71, 3: *ἡσυχαζούσῃ μὲν πόλει — πρὸς πολλοὺς δὲ ἀναγκαζομένοις ἰέναι*, ubi *δέ* adjectivo *πολλούς* majore accentu elato se applicat, non participio. Idem nota in partic. *μέν*: I 82: *ὅπλα μὲν μήπω κινεῖν — πέμπειν δὲ καὶ αἰτιᾶσθαι*, cf. I 102, 3. V 14, 3 saepissime, I 135, 3: *ἔχων δίαιταν μὲν ἐν Ἄργει, ἐπιφοιτῶν δὲ καὶ ἐς κτε.*, ubi exspectatur quidem *δίαιταν μὲν ἔχων*, sed cum secundum membrum nondum in mente haberet scriptor, *ἔχων* anteposuit. Fit quidem etiam ut particula leviori verbo se applicet, II 54, 3: *ἐγένετο μὲν οὖν ἔρις — ἐνίκησε δέ*, cf. III 87. 39, 1. Sine dubio I 53, 3 in loco, qui multorum jam ingenia vexavit, verba *τῶν δὲ Κερκυραίων τὸ μὲν στρατόπεδον* unam notionem efficiunt, tamen collocatio particulae *μέν* insolens est. Nisi cum Krueg. *μέν* delere volumus, Stahlio assentiendum esse puto *μέν* nulla alia de causa transpositum esse, nisi ut enuntiatum per *δέ* ad priora annecti posset, quam-

quam exemplum ab eo allatum I 62, 2 alitor se habet, cf. p. 41. Displicent certe ceterae explicationes quae prolatae sunt. Atque ut mittam conjecturas satis jam refutatas, Class. sententia, qui oppositionem militum et ducum latere putat, sequente alio δέ ab omni verisimilitudine abhorret. Nec minus perversa est Boehmii explicatio, qua Corcyraei distribuuntur in τὸ στρατόπεδον et οἱ Ἀθηναῖοι. Nam cum antea Corinthii Athenienses seorsum allocuti sint, eos ipsos respondere exspectatur. Praemissa autem hic est ut saepe fit per μέν annotatio, quomodo Corcyraei se gesserint, τῶν Κερκυραίων igitur minime genet. partit. esse potest.

Secundum genus eos locos continet, ubi in altero membro duo sunt verba quibus in altero duo respondent, sed non eodem ordine, sed ita ut in secundo membro prior notio posteriori primi membri, posterior priori respondeat. Quem chiasmum ab omnibus scriptoribus Graecis haud spretum Thucydidi adamatum esse constat; ego septem et triginta exempla inveni. Quae figura maxime insignis se offert et rhetoricam quandam vim habet, si in medio enuntiati alterum oppositorum par colliditur, ut I 137, 4: ἐν τῷ ἀσφαλεῖ μὲν ἐμοί, ἐκείνῳ δὲ ἐν ἐπικινδύνῳ, II 83, 4: τὰς πρῴρας μὲν ἔξω, εἴσω δὲ τὰς πρύμνας, cf. II 13, 7. III 62, 3. 86. 4. V 30, 2. 65, 6. VI 6. 34, 4. 38, 3. 66, 3. VII 74, 1. Plerumque ea contraria in quibus summus accentus positus est leviora circumdant; in natura enim rei positum est, ut vox majore accentu elata praeponatur, levior autem vox in fine prioris membri anthithesim suam quasi elicit, ut principium posterioris membri occupet itaque majorem vim accipiat. Neque semper eae notiones quae in medio colliduntur, natura sunt contrariae: II 71, 1: ἐς μὲν τὴν Ἀττικὴν οὐκ ἐσέβαλον, ἐστράτευσαν δ' ἐπὶ Πλάταιαν, cf. I 72, 3. II 54, 6. IV 14. VII 57, 10. VIII 11. Saepe quoque illa contraria uno aut pluribus verbis dirempta sunt, I 138, 4: ὅς κακὰ μὲν πλεῖστα — εἴργασμαι —, πολὺ δ' ἔτι πλείω ἀγαθά, III 38, 3: ἡ πόλις τὰ μὲν ἆθλα ἑτέροις δίδωσι, αὐτὴ δὲ τοὺς κινδύνους ἀναφέρει et sic I 100, 2. II 71, 3. 87, 4. 98, 4. III 55, 1. IV 17, 2. 24, 3. 55, 1. V 15, 2. 47, 6. 66, 2. VI 2, 1. VII 19, 4. 34, 5. 46. 81, 4. VIII 5, 4. 86, 7. Postremo huc trahendi sunt VI 16, 5: τοῖς ὁμοίοις μὲν μάλιστα, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις et similes loci II 54, 6. VI 67. VIII 48, 1. — In exercitus partitionibus non raro chiasmus fit, ubi diversa copiarum genera cum numero nominantur; et in medio numeri quidem sibi opponuntur: III 107, 1: Μεσσηνίους μὲν ἔχων διακοσίους ὁπλίτας, ἑξήκοντα δὲ τοξότας Ἀθηναίους, cf. VI 43, 1. Copiarum genera medium enuntiati explent: I 61, 4: ἐπορεύοντο τρισχιλίοις μὲν ὁπλίταις ἑαυτῶν —, ἱππεῦσι δὲ ἑξακοσίοις, cf. IV 70. VII 20. Similiter in acie instructa VI 67: δεξιὸν μὲν κέρας Ἀργεῖοι εἶχον καὶ Μαντινῆς, Ἀθηναῖοι δὲ τὸ μέσον, τὸ δὲ ἄλλο οἱ ξύμμαχοι, cf. III 107, 4. IV 93, 4. V 6, 2. Confer etiam enuntiata, quorum posteriora membra ab αὐτὸς δέ incipiunt: III 7, 3: τὰς μὲν πλείους ἀποπέμπει τῶν νεῶν — αὐτὸς δὲ ἔχων δώδεκα ἀφικνεῖται κτε., cf. III 7, 5. IV 9, 2.

Etiam tum μέν et δέ non verbis sibi respondentibus addita sunt, si in secundo membro verbum prioris aliquod iteratur, non idem quidem sed ad sensum simile. Ita verbum participio excipitur III 78: ἀθρόαις μὲν οὐ προσέπιπτον οὐδὲ κατὰ μέσον, προσβαλόντες δὲ κατὰ κέρας pro κατὰ κέρας δέ, cf. IV 21, 3. VI 70, 3, substantivum praepositione IV 90: τάφρον μὲν ἔσκαπτον, ἐκ δὲ τοῦ ὀρύγματος —, VII 19, 4: οὗτοι μὲν οὖν ἐν τοῖς πρῶτοι, μετὰ δὲ τούτους, per αὐτός VI 78, 2 διὰ δὲ αὐτά, cf. porro V 59, 4. 71, 3. VI 12, 2. Praeterea in anaphorae modum VIII 13, 1: Καὶ ὁ μὲν — ἀνήγετο —, ἀνεκομίζοντο δὲ ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον κτε., cf. VI 5: ξυνῴκισαν |δέ. Etiam III, 62, 2 verba τῇ μέντοι αὐτῇ ἰδέᾳ ad prius membrum respiciunt.

Alia variatae particularum collocationis ratio eo nascitur quod notio communis non ut ex verborum ordine exspectamus, etiam ad posterius membrum trahenda est, sed in ejus locum alia substituitur. Cujus generis est VII 46, 5: ἐλπίδα ἤδη ἐχυρὰν εἶχον ταῖς μὲν ναυσὶ καὶ πολὺ κρείσσους εἶναι, ἐδόκουν δὲ καὶ τὸν πεζὸν χειρώσεσθαι, ubi concinnius fuit ταῖς μὲν ναυσὶν ἐλπ. κτε., certam enim spem habere priori tantum membro aptum est, plane similiter III 30, 1, cf. etiam I 87, 4. VI 97. VIII 97, nec non V 30, 5: Καὶ οἱ μὲν Λακεδαιμονίων πρέσβεις ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου· ἔτυχον δὲ παρόντες καὶ Ἀργεῖοι πρέσβεις, οἵ κτε. Post καί pergendum erat: οἱ δὲ

Ἀργ. πρ. οἳ ἔτυχον κτε., illo modo id ipsum, Argivos tum forte Corinthi affuisse, magis premitur.

Non multo gravius differt particularum collocatio, si in secundo membro ante rem oppositam causa ponitur plerumque participio expressa, ut III 13: βουλομένους μὲν καὶ πάλαι ὅτε — ἐπέμψαμεν, ὑμῶν δὲ οὐ προσδεξαμένων κωλυθέντας pro κωλυθέντας δὲ ὑμῶν κτε., cf. IV 21. VI 82, 1. I 20, 2. 134, 1. III 18, 5, praepositione VII 57, 7: αὐτόνομοι μὲν, κατὰ δὲ τὸ νησιωτικόν μᾶλλον κατειργόμενοι, ὑπό IV 24, 4. Tempus quoque quo quid fiat cum δέ conjunctum est III 91, 3: ἄραντες αὐτοὶ μὲν ἔπλευσαν —, ὑπὸ νύκτα δὲ σχόντες εὐθὺς ἐπορεύοντο οἱ ὁπλῖται κτε., VII 72, 2: τῆς δὲ νυκτός, ἐν τούτῳ δέ IV 122, 1, ἐν δὲ τῷ παρόντι VI 88, 2, ὕστερον δέ II 68, 9. III 85, genet. absol. II 55, 2. Aliquod factum quod rem oppositam antecedit, antepositum est V 58, 4: ταύτην μὲν ἣν προσεδέχοντο οὐκ ἐτράπετο, παραγγείλας δὲ ἄλλην ἐχώρησε, cf. III 29, 1. VI 74, 1. VII 43, 2, ἐπειδὴ μέντοι III 3. II 83, 3. Condicio I 120, 3: ἐκ μὲν εἰρήνης πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι, cf. II 49. IV 27, 4. 41. — Participium arte cum verbo finito conjunctum rationem ac modum actionis exprimens verbo opposito cum δέ antepositum est III 79, 2. IV 48, 2. V 50. VIII 71. 31, 1. — Separanda sunt ea exempla, ubi in partic. ipso oppositio inest, non in verbo fin.: III 68, 3: τὰ μὲν ὁμοῖα οὐκ ἀνταπέδοτε ἡμῖν, ἐπιθέμενοι δὲ — πῶς οὐ δεινὰ εἴργασθε; VII 74: τὰ μὲν ἄλλα πάντα καταλιπεῖν, ἀναλαβόντας δὲ — ἀφορμᾶσθαι, cf. II 100, 6. IV 35, 3. VIII 17, 4.

In principio orationum Plataeensium et Thebanorum μέν ad enuntiatum quod pendet postpositum pertinet: III 53, 1: Τὴν μὲν παράδοσιν — ἐποιησάμεθα οὐ τοιάνδε δίκην οἰόμενοι ὑφέξειν —· νῦν δὲ φοβούμεθα κτε.: contrarium enim νῦν δέ docet μέν ad condicionem pertinere, neque aliter III 61, 1 res se habet. IV 59, 2 quoque comparari potest: μέν enim ad ὡς χαλεπόν pertinere apparet. Ita scilicet ut legimus magis commodum fuit, et sine dubio sermo durissimus et tardissimus fieret, si collocatio verborum ad severissimam ubique normam dirigeretur.

Sed haec omnia levia videri possunt. Magis mirandum

est ac prope ad anacoluthon accedit, si μέν particula voci cuidam utrique membro communi addita est, ut III 62, 1: ἔπλεον — βουλόμενοι μὲν εἰδέναι — κατασκέψασθαι δὲ καί —, similiter IV 70, 2. VIII 89, 3: ἦν δὲ τοῦτο μὲν σχῆμα πολιτικὸν τοῦ λόγου αὐτοῖς, κατ' ἰδίας δὲ φιλονικίας — προσέκειντο pro πολιτικὸν μὲν σχῆμα, cf. II 13, 3. III 63, 4. IV 125, 1. Cur unoquoque exemplo a sollemni verborum collocatione scriptor aberraverit vix causas inveneris neque ad certam regulam revocaveris. Fortasse principio aliter pergere in mente habuit: III 63, 4 pergi poterat ἐκεῖνοι δὲ ἀδικοῦντες ὑμᾶς ξυνεργοὺς ἔσχον, sed praelata verborum collocatione bene significatum est Plataeenses ipsos ultro Atheniensibus ad omnia facinora se obtulisse, II 13 fortasse ita: κακὸν δὲ ἐκ τούτου οὐ γένοιτο, VI 62: κατασκεψόμενοι δὲ καί. Sed tales causas non sufficere apparet comparantibus nobis III 107, 3: ἡμέρας μὲν πέντε, cf. VII 87, 3, V 67: κέρας μὲν εὐώνυμον, vel II 80, 3: καὶ τὸ μὲν ναυτικὸν ἐκ Κορίνθου — τὸ δ' ἐκ Λευκάδος. Talia explicare equidem nescio, nisi forte ad neglegentiam quandam referre volumus. Nonnullis locis fortasse μέν idcirco non suo loco positum est, ne nimis sub finem prioris membri collocaretur, VII 9: στρατεύσας ἐπ' Ἀμφίπολιν τὴν μὲν πόλιν οὐχ εἷλεν, ἐς δὲ τὸν Στρυμόνα περικομίσας τριήρεις — ἐπολιόρκει: scribi debebat εἷλε μὲν οὐχ, similiter VIII 50, 3. Non huc pertinere puto I 62, 2, ubi verba asyndetice annexa στρατηγὸν μὲν τοῦ πεζοῦ παντὸς — ᾕρηντο Ἀριστέα, τῆς δὲ ἵππου Περδίκκαν valde offendunt, verisimillimaque est Krueg. ex manuscriptis minoribus prolata lectio στρατηγὸν μὲν οὖν, cui respondet non τῆς δὲ ἵππου, sed ἦν δὲ ἡ γνώμη, cf. p. 54. Quae explicatio non dubito quin permultis non placitura sit. Sed comparetur VIII 104, 5, ubi verbis ᾗ μὲν ἐβούλοντο ἀποφράξασθαι respondere non τὸ δ' εὐώνυμον, sed τῷ δὲ μέσῳ ex eis quae antecedunt apparet, illa autem verba parenthetice inserta sunt. Particulam μέν verbis τῆς δὲ ἵππου respondentem non necessariam esse plurimi docent loci, ut VIII 22: ἦρχε δ' αὐτοῦ (scil. τοῦ πεζοῦ) Εὐάλης, τῶν δὲ νεῶν Δειniάδας. De qua re v. p. 55.

Eo quod secundum membrum per anacoluthiam annectitur responsio verborum turbata est III 81, 2. I 10, 3. IV 124, 3. VI 13, 2, de quibus locis v. infra.

Venio ad ea exempla ubi contrarium ejus vocis cui *μέν* appositum est omnino non expressum est, sed ex contextu facile subauditur, IV 1, 4: *δηώσαντες δὲ οἱ μὲν Λοκροὶ τῷ πεζῷ ἀπεχώρησαν, αἱ δὲ νῆες ἐφρούρουν*, ubi quae antecedunt docent naves imprimis Syracusanorum dictas esse, cf. 25, 10. VI 66, 3: scil. *ἐκ δὲ Κατάνης*, V 41, 2: *ἐν μὲν τῷ παρόντι σπονδὰς ποιήσασθαι ἔτη* 50, *ἐξεῖναι δέ κτε.*, ubi intellegimus *ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ*. Etiam II 100, 6 intellegi potest *ᾗ δὲ μὴ προσπέσοιεν*, IV 34, 3: *ἀποκεκλῃμένοι μὲν τῇ ὄψει τοῦ προορᾶν, ὑπὸ δὲ τῆς μείζονος βοῆς τῶν πολεμίων — οὐκ ἐσακούοντες*: potest cogitari simile verbum medium ut *κωλυθέντες δέ*. VII 60, 2 ad *τοῦτο μὲν φρουρεῖν* intellegas altera parte peditum, sequitur enim: *ἀπὸ δὲ τοῦ ἄλλου πεζοῦ*, similiter IV 69, 3 suppleas *τῶν μὲν ἄλλων* respondens *τοῖς δὲ Λακ.* Plane ad prius membrum non respicere videntur verba IV 32, 1: *ἅμα δὲ τῇ ἕῳ καὶ ὁ ἄλλος στρατὸς ἀπέβαινον*: sed aliter haec expressa sunt, quia priore membro longius producto scriptor jam oblitus est quae verba antea fecerit. Id quod sollemne est post enuntiata interposita, quibus structurae variatio jam praeparata est, ut IV 48, 1: *καὶ ἐς μὲν ἄνδρας ἑξήκοντα ἔλαθον — διαφθείραντες, ᾤοντο γὰρ αὐτοὺς —· ὡς δὲ ᾔσθοντο*, ubi quivis intellegit *τότε δὲ οἱ ἄλλοι*, quae mutatio enuntiato *ᾤοντο κτε.* interposito minus offendit. Similiter VII 73, 2 inserto *καὶ ἐδόκει κτε.* De III 28, 1 et VII 57, 10 Class. bene disseruit. Corruptus est V 82, 3: *ἕως μὲν μετεπέμποντο οἱ φίλοι, οὐκ ἦλθον ἐκ πλείονος, ἀναβαλόμενοι δὲ τὰς γυμνοπαιδίας ἐβοήθουν*, ubi *ἕως μὲν* et *ἀναβαλόμενοι* minime inter se respondere posse apertum est, praeterea *ἐκ πλείονος* non convenit verbo *ἦλθον*, nam Classenii explicatio „nicht mit der nötigen Eile“ prorsus falsa est. Rauchensteinii conjecturam *ἐκ πλείονος δ' ἀναβαλόμενοι* sensus respuit. In Campii *οὐκ ἦλθον, νῦν δ' ἐκπλαγέντες, ἀναβαλόμενοι τὰς γυμν.* cum *νῦν* non aptum est, tum *ἐκπλαγέντες* non probabile esset, nisi Lacedaemonii tum demum, cum nuntium de rerum conversione accepissent, profecti essent. Quod non ita esse verba quae sequuntur docent. Verisimillimum igitur est verba quaedam omissa esse sive alia sive quae Stahlius conjecit.

Interdum propter rhetoricas rationes membrorum accurata

responsio neglegitur, ut IV 92, 7: *δεῖξαι ὅτι ὧν μὲν ἐφίενται πρὸς τοὺς μὴ ἀμυνομένους ἐπιόντες κτάσθωσαν, οἷς δὲ γενναῖον — ἀνανταγώνιστοι ἀπ' αὐτῶν οὐκ ἀπίασιν*, ubi *ὧν μὲν — οἷς δέ* antithesim efficiunt, sententia autem docet *οἷς δὲ γενναῖον* et *πρὸς τοὺς μὴ ἀμυνομένους* opposita esse. De III 69, 2 disputaverunt Poppo et Darpe, de verborum collocatione apud Thuc. p. 68. Contra ipsius pronominis relat. antithesis neglecta est III 39, 2: *οἵτινες μὲν μὴ δυνατοὶ — νῆσον δὲ οἵτινες ἔχοντες κτε.*, eodemque modo V 9, 1, idcirco nimirum, ut substantivum ante particulam positum majorem vim habeat. II 42, 5: *τὸ μὲν αἰσχρὸν τοῦ λόγου ἔφυγον, τὸ δ' ἔργον τῷ σώματι ὑπέμειναν.* Sententia est: ignominiam fugientes magnum facinus susceperunt: particulae *μέν* et *δέ* ea de causa sola additae sunt, ut amata verborum *λόγος* et *ἔργον* oppositio etiam hic existeret.

Postremo eos locos quos ad certam regulam referre mihi non contigit componere opportunum puto. Ac *μέν* quidem perverso loco positum esse videtur III 92: *Μηλιῆς οἱ ξύμπαντες εἰσὶ μὲν τρία μέρη —· τούτων δὲ οἱ Τραχίνιοι*, IV 8, 1: *οἱ Σπαρτιᾶται αὐτοὶ μὲν — εὐθὺς ἐβοήθουν, τῶν δὲ ἄλλων Λακεδαιμ.* pro *οἱ μὲν Σπ. αὐτοί*, VII 2, 4: *καιρὸς ἐν ᾧ ἑπτὰ μὲν ἢ ὀκτὼ σταδίων ἤδη ἀπετετέλεστο ἐς τὸν μέγαν λιμένα διπλοῦν τεῖχος —· τῷ δὲ ἄλλῳ τοῦ κύκλου — κατελέλειπτο*, ubi non possum quin Classenio assentiar, qui verba *ἑπτὰ μὲν ἢ ὀκτὼ σταδίων* delet. Nam praeter alias difficultates, quamvis libera particulae *μέν* collocatio sit, talem anomaliam Thucydidi tribuere nolim: debuit enim dici *ἐς μὲν τὸν μέγαν λιμένα*. Quo scilicet modo tale glossema in textum irrepserit vix dici potest. I 140, 1: *Τῆς μὲν γνώμης ἀεὶ τῆς αὐτῆς ἔχομαι μὴ εἴκειν —· ὁρῶ δὲ καὶ νῦν ὁμοῖα ξυμβουλευτέα μοι εἶναι* pro *ἀεὶ μέν*. Quod Class. dicit propriae sententiae opponi consilium populo datum non recte mihi intellexisse videtur. Nam e verbis *καίπερ εἰδὼς κτε.* elucet etiam in priore membro consilium aliis dandum cogitandum esse: opponuntur inter se *ἀεί* et *καὶ νῦν* anomala particulae *μέν* collocatione. Etiam Sthenelaïdae oratio I 86 per *μέν* introducitur: *τοὺς μὲν λόγους τοὺς πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων οὐ γιγνώσκω — ἡμεῖς δὲ ὁμοῖοι καὶ τότε καὶ νῦν ἐσμεν.* Sic enim enuntiata sibi re-

spondere cum Poppone pro certo habeo; optime *μέν* contra Athenienses, *δέ* contra Corinthios disceptationem incipit, minimeque necesse est cum Krueg. oppositionem omissam esse putare, quae talis fere subaudienda esset: eos revera quoque nos aggredi velle constat. Sin autem nostra explicatio vera est, mira certe est verborum collocatio pro *τῶν μὲν Ἀθηναίων τοὺς λόγους*. Fortasse Atheniensium vanam loquacitatem magis ut molestam premere vult, simul simulans quasi dicere velit: non jam tempus est loquendi, sed fortiter decet rem aggredi. — *Δέ* a verbo opposito abesse videtur IV 4, 2: *σιδήρια μὲν λιθουργὰ οὐκ ἔχοντες, λογάδην δὲ φέροντες λίθους*, similiter II 75, 2.

Hactenus de particulis *μέν* et *δέ* verbis non respondentibus additis. Cujus rei quamvis multa exempla exstant, tamen nequaquam dicendum est collocationem liberam esse, ita ut particulae non singula verba, sed tota enuntiata sibi opponant. Quod non verum esse ea re me demonstravisse puto quod in singulis exemplis causas anomaliae quoad potui indagavi.

IX.

Jam de alia membrorum dissimilitudine disputandum est, scilicet de constructionis in posteriore membro mutationibus.[1]) Quod saepissime e pendente structura solvitur et verbum fin. accipit. Qualis transitus imprimis ex participio sollemnis est, quod non adeo mirum est, quoniam plura participia deinceps sequentia facile aliquid duri habere videntur, neque a nostro sensu nimis alienum est. Conferas II 47, 3: *ἡ νόσος ἤρξατο —, λεγόμενον μὲν καὶ — ἐγκατασκῆψαι, οὐ μέντοι τοσοῦτός γε λοιμὸς — ἐμνημονεύετο —*. Qua in re nonnumquam verb finit. secundi membri ad id verbum cui partic. se applicat, redit, ut VI 30/31: *ξυγκατέβη δὲ καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος —, οἱ μὲν ἐπιχώριοι — προπέμποντες, οἱ δὲ ξένοι — κατὰ θέαν ἧκεν* pro *θεώμενος* redundante *ἧκεν*, et significantius III 81, 4: *ἐφόνευον, τὴν μὲν αἰτίαν ἐπιφέροντες τοῖς τὸν δῆμον καταλύουσι, ἀπέθανον δέ τινες καὶ ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα.* Sensui

---

[1]) De anacoluthis apud Thucyd. in universum amplissime disputavit Kampfner in diss. Monast. 1869.

suffecisset: *τῷ δὲ ἔργῳ τινας καί —*. VI 101, 3 oblitus scriptor verbi regentis participio novum verb. fin. aggregavit: *ἐπιχειροῦσιν αὖθις — τὰς μὲν ναῦς κελεύσαντες περιπλεῦσαι —, αὐτοὶ δὲ καταβάντες ἐς τὸ ὁμαλὸν — αἱροῦσιν*, cf. VII 50. Praeterea ex participio ad verb. fin. transitur I 49, 7. II 97, 4. III 87, 1. 107, 4. IV 6. 63, 4. 72, 1. Contra sine necessitate Krueg. I 54, 2 delens verba *ἔστησαν τροπαῖον* talem transitum statuit. IV 63, 4 Stahlius quidem conjectura sua structurae mutationem movit, scribens *ἀμυνούμεθα ἤδη· ἀπιστήσαντες δὲ ἄλλοις ὑπακουσόμενοι*. Sed mutare non opus est. Hermocrates enim, quia nullam dubitationem relinquere vult, quin *τὸ ἀπιστεῖν* necessario *τὸ ὑπακούειν* subsequatur, hoc ipsum in enuntiatum condicionale trahit. In Stahlii vero lectione verba *οὐ περὶ τοῦ τιμωρεῖσθαι* non habent ad quod se applicent. Atque in his quidem exemplis transitus structurae facile excusatur. Aliter res se habet, si participium non verbo fin. alicui quod praecedit se applicat, sed aut plane per se stare aut ex verbo secundi membri pendere videtur. Tale enuntiatum traditum est VIII 80, 3, ubi verbum *ἀφιστᾶσι* solum ad posterius membrum pertinere sensus docet, itaque aut cum Class. partic. *ἐλθοῦσαι* in *ἦλθον* corrigendum aut cum Stahlio verb. fin. supplendum est. VII 27, 3 vero ubi utrumque membrum ex *ἐπειδή* pendet, *ἐπῳκεῖτο* etiam ad prius membrum trahi potest, etsi Krueg. recte dicit tum in secundo membro particip. velut *κατεχομένη* respondens *τειχισθεῖσα* desiderari. Discrepat I 36, 3, ubi verba *τρία μὲν ὄντα λόγου ἄξια — ναυτικά* e *μάθοιτε* pendere prorsus non possunt, sed cum *ὄντα* modo ad *λόγου ἄξια* pertineat, sine difficultate suppletur *ἐστί*, ut recte monuit Stahlius in annal. philol. 1863, p. 467.

Ex genet. abs. partic. ad verb. fin. transitur VII 13, 2. 15, 2, praeterea difficillimo loco VII 82, 1: Ex numero conjecturarum quas Class. profert, ut ex genet. *ἑτοίμων* verb. fin. fiat, nulla probabilis est. Quid enim, seu *ἐτόλμων* seu *ἑτοῖμ' ἦν* legimus, tum genet. *ἐχόντων* sibi vult? Mihi maxime ea explicatio probatur, quae ad *πολεμουμένων δέ* ex priore negativo membro audit *πρόφασιν ἐχόντων καὶ ἑτοίμων ὄντων*, quamquam etiam hoc duritate quadam non caret. Minime vero Stahlio assentiri possum, qui *μέν* et *δέ* in continenti constructione

posita esse putat, quod cum eo Krueg. etiam ad VI 69 adnotat. Sed id particula *ἀλλά* vetare, satisque mihi Class. defendisse videtur non *ὄντες*, sed *ἦσαν* supplendum esse.

Neque magis transitus ex infin. in verb. finit. offendit, ut I 44: *μετέγνωσαν ξυμμαχίαν μὲν μὴ ποιεῖσθαι —, ἐπιμαχίαν δ' ἐποιήσαντο*, cf. VIII 5, 2 vel IV 59, 2: *ξυμβαίνει τοῖς μὲν φαίνεσθαι —, οἱ δὲ — ἐθέλουσιν*, itidem ex *συνέβη* V 14 infin. pendet, in secundo membro aliud verb. fin. succedit, ut VI 80, 3: *λέγομεν — μὲν εἶναι —, δεόμεθα δέ*, cf. VIII 67, 2. V 34. VII 41, 4. Ex participio porro ad infin. transitur. Sic VIII 78, 1 post longiorem prioris membri expositionem applicatio participialis in oblivionem adducta est, itaque infinitivo pergitur e verbo dicendi primario pendente, similiter I 72, 1 post *ἔδοξεν*, I 9, 2 post *λέγουσι*, v. Class. a. l. et Kampfner p. 18. VI 72, 4 infin. *θαρσαλεωτέραν ἔσεσθαι* ex generali verbo *ἐπιδώσειν* exceptus est. Contra VI 69, 3 generali verbo pendentia duplici structura se applicant: *οἱ δ' ἐχώρουν, Συρακόσιοι μὲν — μαχούμενοι, Ἀθηναῖοι δὲ — σχεῖν*, ubi et partic. et infin. finem atque consilium eundi designant, cf. VI 34, 8. Solutius participio ex *ἀπέφαινε* pendenti in posteriore membro infin. substituitur: VIII 45, 6. 92, 11. — Vice versa ex infin. ad particip. transitur VII 68, 1, quod Class. ita explicat, ut pro verbo generali *νομίσωμεν* in posteriore membro cogitetur *εἰδῶμεν*. Certe non potest cum Hache, de participio Thucyd. 1880, p. 14 *ἐκγενησόμενον* ut partic. condicionale accipi: si nobis licebit ulcisci, ita ut ex *νομίσωμεν* pendeat *ἥδιστον εἶναι*. — Constructio ex *ὅτι* pendens in posteriore membro solvitur, levissimo sane transitu III 46, 2. 57, 1: *σκέψασθε ὅτι νῦν μέν —*, et II 65, 8—10. VIII 45, 4. 86, 6.

Casus mutatur IV 62, 3: *πλείους ἤδη οἱ μὲν — τοῖς δὲ ξυνέβη*, ubi verbum medio verbo *ξυνέβη* subiectum est; cf. V 41, 3. Contra durissimus esset transitus VI 35, si tradita lectio servaretur. At verisimillima est Madvigii correctio *ἃ λέγεται. οἱ δέ* pro *λέγει, τοῖς δέ*, cum praesertim etiam tertium membrum iterum ab *οἱ δέ* incipiat, sic enim facile ad *οἱ μέν — οἱ δέ — οἱ δέ* supplemus *λέγοντες*. Ex dativo partic. ad nomin. transitur IV 108, 4: *αὐτοῖς, ἐψευσμένοις μὲν —, τὸ δὲ πλέον βουλήσει κρίνοντες —*, ex genet. ad nomin. IV 87, 3, ubi ad

κατὰ δύο ἀνάγκας genet. *τῶν μὲν Λακεδ.* respicit, in posteriore autem membro liberius pergitur: *οἱ δὲ Ἕλληνες*.

Simili libertate enuntiata relativa bipartita fruuntur, imprimis si in posteriore membro alius pronominis casus suppleri potest, ut I 36, 1: *καὶ ὅτῳ τάδε ξυμφέροντα μὲν δοκεῖ λέγεσθαι, φοβεῖται δέ*, cf. I 10, 3. V 43. VII 62, 2. Etiam VI 13, 3 fortasse *ἀφ' ὧν* subaudiendum est, neque scio an II 41, 4 ad *τὴν ὑπόνοιαν* supplendum sit *οὗτινος*, oppositio enim verborum *ἔπεσι* et *ἔργων* rhetorica est. II 99, 5 relativo in posteriore membro pronomen *αὐτός* substituitur: *ὧν οἱ μὲν πολλοί —, βραχὺ δέ τι αὐτῶν*. Alterum membrum ad pron. relat. omnino non respicit VI 10, 2: *οἱ ἐχθροὶ οἷς πρῶτον μὲν διὰ ξυμφορῶν ἡ ξύμβασις γεγένηται, ἔπειτα — πολλά τι ἀμφισβητούμενα ἔχομεν*, ubi inimici prioris tantum membri subjectum sunt. — Fit quoque ut prius membrum sine verbo eis quae antecedunt se applicet, posterius aliud verbum accipiat, III 30, 2: *κατὰ μὲν θάλασσαν καὶ πάνυ, εἰκὸς δὲ καὶ τὸ πεζὸν — διεσπάρθαι*, cf. V 53, 1 et IV 9, 2, VIII 56, 3: *αὐτὸς μὲν διὰ τὸ δέος, ὁ δὲ Ἀλκιβιάδης — δοκεῖν ἐβούλετο*, ubi concinnius fuit partic. *βουλόμενος*.

Haec de secundo membro e pendente structura enuntiati soluto sufficiant. Non minus late patet subjecti permutatio. Ac primum quidem commune enuntiati subjectum restringitur, ut I 105, 4: *Οἱ Ἀθηναῖοι τὸ μὲν πρὸς Αἴγιναν στρ. οὐκ ἐκίνησαν, τῶν δ' ἐκ τῆς πόλεως ὑπολοίπων οἵ τε πρεσβύτεροι καὶ οἱ νεώτεροι κτε.*, non minus commode dictum esset: *τοὺς πρεσβ. — ἐξέπεμψαν*; sed tales inaequalitates, si crebritatem spectamus, vix neque a Thucydide neque ab aliis scriptoribus animadversae esse videntur, III 109, 2 loco Atheniensium Demosthenes subjectum fit, VI 62, 3: *αὐτοὶ δὲ τῷ μὲν πεζῷ — αἱ δὲ νῆες*, cf. VII 46, 1. III 91, 3. VI 100, 2. Dux copiis per *αὐτὸς μέν* opponitur VI 4, 1: *Λάμις — οἰκίσας αὐτὸς μὲν ἀποθνήσκει, οἱ δ' ἄλλοι — ᾤκισαν*, cf. VI 104. VII 22, 1. 43, 2: *παραγγείλας δὲ — αὐτὸς μὲν — ἐχώρει, Νικίας δὲ — ὑπελείπετο*: qui toti incepto praeest per *αὐτὸς μέν* significatur. Saepe *μέν* cum accus. conjunctum est, cum in oppositione nominativo pergatur: V 116: *τοὺς μὲν ξυνέλαβον, οἱ δ' αὐτοὺς καὶ διέφυγον*, cf. IV 46, 2. VII 31. Pro passiva constructione

active pergitur I 68, 3: *ὧν τοὺς μὲν δεδουλωμένους ὁρᾶτε, τοῖς δ' ἐπιβουλεύοντας αὐτούς*, cf. VI 4, 5. Contra activa constructio servatur subjecto mutato VII 53, 3: *οἱ Ἀθηναῖοι τὰς ναῦς τὰς μὲν πολλὰς διέσωσαν —, δυοῖν δὲ δεούσας εἴκοσιν οἱ Συρακόσιοι ἔλαβον αὐτῶν*, similiter IV 115, 3. VII 41, 2. Brevitatis studio subjecti mutatio deberi videtur VI 10, 2: *σπονδὰς αἳ ἡσυχαζόντων μὲν ὑμῶν ὀνόματι σπονδαὶ ἔσονται, σφαλέντων δέ που — ἐπιχείρησιν ἡμῖν οἱ ἐχθροὶ ποιήσονται*, ubi intellegimus *σφαλ. δέ που οὐδὲ τοῦτο, ἀλλά* (s. *γάρ*), cf. VII 12, 2. — Deinde priori membro aliquid per *καί* cum novo subjecto additum est, quod in altero servatur: VII 67, 2. III 49, 1. V 82, 4. Subjectum enuntiati in posteriore membro synonymo excipitur II 87, 4: *τῶνδε δὲ ἡ ἐπιστήμη ἀνδρίαν μὲν ἔχουσα —, ἄνευ δὲ εὐψυχίας οὐδεμία τέχνη — ἰσχύει*, cf. II 64, 5; pronomine II 46: *οἱ θαπτόμενοι τὰ μὲν ἤδη κεκόσμηνται, τὰ δὲ αὐτῶν τοὺς παῖδας ἡ πόλις θρέψει.* Plane aliter enuntiatum in secundo membro exit atque inceptum est III 56, 1: *Θηβαῖοι δὲ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἡμᾶς ἠδίκησαν, τὸ δὲ τελευταῖον καὶ αὐτοὶ ξύνιστε, δι' ὅπερ καὶ τόδε πάσχομεν*, cf. I 90, 3. III 66, 2. IV 32, 1. Quibus omnibus locis mutatio subjecti non adeo mira videbitur, si considerabimus notionem primariam esse quae in capite enuntiati posita sit et aliquam in partem etiam ad posterius membrum subaudiri. Cui uno tamen loco cum subjecto anteposito nihil commune est, in enuntiato vere anacoluthico II 52, 4: *ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον οἱ δὲ καομένου ἄλλου ἄνωθεν ἐπιβαλόντες — ἀπῇσαν*, ubi verba *φθάσαντες τοὺς νήσαντας* tantum ad prius membrum pertinere apertum est.

Sed non solum subjecta particulae *μέν* tali modo anteposita invenimus, sed etiam alia verba. Interdum quidem alius pronominis casus supplendus est: I 24, 1: *ταύτην ἀπῴκισαν μὲν — οἰκιστὴς δ' ἐγένετο*, scil. *αὐτῆς*, cf. VI 1. 2. V 41, 3, nec non VI 32, 3, ubi post *ἐς τὰς Συρακούσας* intellegimus *ἐκεῖ*. Nec dissimilis VI 4, 5: *ὄνομα δὲ τὸ μὲν πρῶτον —, ὕστερον δὲ — ἀντωνόμασεν.* Praepositio mutatur VI 76, 4: *περὶ δὲ οἱ μὲν — οἱ δ' ἐπί*, verbum II 19, 2: *ἔτεμνον πρῶτον μέν — ἔπειτα προυχώρουν*, cf. II 48. 100, 3. III 20, 1. Participium antepositum tantum ad prius enuntiatum pertinet VIII 44, 1: *ἀγανακτῶν δὲ ὁ μὲν Τισσαφέρνης ἀπεχώρησεν —, οἱ δ' ἐς τὴν Ῥόδον —. Ἐστί* VI 97: *ἐστὶ δὲ χερσόνησος μὲν — προύχουσα, τῆς δὲ Συρακ. πόλεως — ἀπέχει*, cf. VIII 98, 3. Accusat. II 49: *τοὺς δ' ἄλλους πρῶτον μὲν — ἐλάμβανε, ἔπειτα — ἐπεγίγνετο*, dativus IV 56, 1. 129, 4, genet. II 72, 1. Confer etiam V 97: *κατὰ δύναμιν δὲ τοὺς μὲν περιγίγνεσθαι, ἡμᾶς δὲ φόβῳ οὐκ ἐπιέναι, κατὰ δύναμιν* enim et *φόβῳ* sibi opposita sunt. Anacoluthum habemus IV 124, 3, ubi verba *πεδίου δὲ τοῦ μέσου ὄντος* quod ad sensum attinet loco enuntiati interpositi esse videntur. Pergi enim debuit *τῶν δὲ ἱππέων τὸ πεδίον μέσον ὄν.*

Cognatus est is usus quo verbum antepositum aut idem aut synonymum in secundo membro repetitur, ut VIII 33, 4: *ἀπέπλευσαν, ὁ μὲν ἐς τὴν Χίον, ὁ δὲ ἐς τὴν Μίλητον ἐκομίσθη*, ubi verba non plane idem significant, ut non cum Krueg. *ἐκομίσθη* delendum sit, cf. VI 52. VIII 31, 3. VI 67: *ἐτάξαντο τοὺς μὲν ὁπλίτας —, τοὺς δὲ ἱππέας ἐπετάξαντο*, cf. I 48, 3. V 47, 6: *παρεχέτω — διδότω*, VII 82: *κήρυγμα ποιοῦνται — ὁμολογία γίγνεται*, VIII 68, 1: *ἦν δὲ ὁ μὲν — ὁ μέντοι ἦν.* Participium IV 24, 3: *ὁρῶντες — πυνθανόμενοι*, IV 117: *νομίσαντες — ἡγούμενοι*, VI 90, 3, infinit IV 73, 2: *καλῶς δὲ ἐνόμιζον σφίσιν ἀμφότερα ἔχειν, ἅμα μὲν τὸ — ἐν τῷ αὐτῷ δὲ καί — ὀρθῶς ξυμβαίνειν*, cf. VI 13. Nomen pronomine excipitur VII 65: *Τῷ δὲ Γυλίππῳ καὶ τοῖς Συρακοσ. παρῆν μὲν αἰσθάνεσθαι —· προηγγέλθη δὲ αὐτοῖς καί*, cf. VIII 11, 3. 97. Ad oppositionem augendam I 38, 5 pro simplici negatione contraria notio inserta est: *καλὸν δ' ἦν τοῖσδε μὲν — ἡμῖν δὲ αἰσχρὸν βιάσασθαι* pro *ἡμῖν δὲ μὴ βιάσασθαι*, cf. Scheiding, de hyperbato Thucyd. p. 7.

Addo his nonnulla exempla, ubi jam prius membrum per anacoluthiam applicatum est. Quorum maxime insignia sunt III 34, 3 et IV 80, 4, ubi oppositis *ὁ μὲν* et *ὁ δέ* hoc subjectum totius enuntiati excipit, illud quasi parenthetice insertum est, id quod valde nos offendit. Participium liberius annexum est IV 23, 2: *τὰ περὶ Πύλον ὑπ' ἀμφοτέρων κατὰ κράτος ἐπολεμεῖτο, Ἀθηναῖοι μὲν — περιπλέοντες, Πελοποννήσιοι δὲ — στρατοπεδ.*, cf. V 70. II 53, 4, ubi in secundo membro

praeterea pro οὐκ gravius οὐδείς legitur. VII 71, 1 subjecta utriusque membri participiis postposita sunt: φιλονικῶν μὲν ὁ αὐτόθεν —, δεδιότες δὲ οἱ ἐπελθόντες. A nautis ad naves transitur II 91, 4: ἀτάκτως διώκοντες αἱ μέν τινες τῶν νεῶν — αἱ δὲ καί. Etiam I 124, 1 subjectum mutatum videtur; περιμένοντας enim aparte ad legatos Spartae congregatos pertinet, τοὺς μέν autem et τοὺς δέ ad socios Lacedaemoniorum; sed ut legimus verba subjectum περιμένοντας bipartitum esse videtur. Sensus ut recte dicit Class. postulat ut ad περιμένοντας subaudiamus infinit. περιορᾶν, id quod non adeo difficile esse existumo. Ex dativo ad accus. transitur VI 85, 2 τοῖς ἐκεῖ ξυμμάχοις — ἐξηγούμεθα, Χίους μὲν — αὐτονόμους, τοὺς δὲ πολλοὺς κτε., ad nominat. VI 24, 3.

X.

Jam ea exempla nobis tractanda sunt, ubi pro δέ in secundo membro alia particula posita est. Atque adversativas quidem particulas alias persaepe scriptores exhibent, sed usu differunt. Ut poëtas omittamus, apud quos magna variatio est, apud omnes fere μέντοι et ἀλλά inveniuntur, apud Platonem et Xenophontem etiam μήν et γὲ μήν. Thucydidi contra praeter δέ una μέντοι usurpata est. Fuerunt quidem qui ei responsionem particularum μέν et ἀλλά vindicare vellent, ut Krueg. ad III 2: Λέσβος ἀπέστη, βουληθέντες μὲν καὶ πρὸ τοῦ πολέμου, ἀλλ᾽ οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐ προσεδέξαντο. Saepissime certe δέ post μέν inceptum aliquod vel voluntatem impediri significat. Sed hic potius βουληθέντες μέν et ἀναγκασθέντες δὲ — ποιήσασθαι duas partes vel tempora actionis ἀποστῆναι indicant, ut recte Class. dicit, et enuntiatum ἀλλὰ — προσεδέξαντο parenthetice causam incepti non perfecti addit. Krueg. durissimum ex participio in verb. fin. transitum statuere coactus est. Prorsus falso Kuehner in gramm. gr. II p. 812 etiam I 73 huc trahit, de quo loco v. p. 13. Operae pretium est usum Antiphonteum comparare, apud quem unum exemplum responsionis μέν — ἀλλά agnosco, I 18: τὰ μὲν ἄλλα μακρότερος ἄν μοι εἴη λόγος — ἀλλὰ πειράσομαι τὰ λοιπὰ — διηγήγασθαι. Schaefer l. a. praeter id tria etiam exempla affert: I 13: περὶ μὲν οὖν τούτων οὐκ ἄδηλον ὅτι αὐτοι ἔφευγον

— πυθέσθαι —· ἀλλ᾽ οὐχ ὑμεῖς γε, ἔγωγ᾽ εὖ οἶδα: sed hic ὑμεῖς et αὐτοί opposita sunt. Verba autem περὶ μὲν οὖν τούτων rursus excipiuntur his: ταῦτα μὲν οὖν μέχρι τούτου· περὶ δέ κτε. Similiter V 25 verba πρῶτον μέν excipiuntur verbis ἀλλ᾽ εἰς μὲν τὸ παραυτίκα oppositio sequitur: ἐπειδὴ δέ. V 57 denique οἶμαι μὲν γὰρ οὐδένα, ἀλλὰ δεῖ μεγάλην τὴν ἔχθραν ὑπάρχειν: hic ἀλλά ut in exemplo Thucydideo supra allato explicandum est, οἶμαι μέν vero ut saepe apud Platonem et oratores oppositionem in in se ipso continet, scilicet: alii idem sentient. Ex Demosthene Rehdantzius unum exemplum affert. Multus contra usus apud poëtas: ex Aeschylo Wellauer sex, ex Sophocle Ellendtius septem affert, quorum in tribus ἀλλ᾽ ὅμως, apud Euripidem in una Hecuba quinque exempla inveni: 219. 382. 799. 825. 1193. Thucydides vero particulas μέν et ἀλλά numquam inter se opponit.

Μέντοι post μέν imprimis in enuntiatis concessivis adhibetur, v. p. 12, praeterea ἔπειτα μέντοι III 111, 3. IV 135, 1. V 25, 3. VIII 75, 1. 86, 2, et III 62, 2: τῇ μέντοι αὐτῇ ἰδέᾳ.

Jam vero exstant exempla, ubi post μέν pro adversativa particula infertur copulativa. Quod quoniam particularum μέν et δέ vim copulativam cognovimus, nos jam non adeo offendit, et re vera is usus apud omnes fere scriptores invenitur, imprimis apud poëtas. Particula τέ scilicet facili corruptela ex δέ nasci potuit, itaque nunc omnes consentiunt, ubi duae res non copulantur sed opponuntur, δέ restituendum esse. Sic apud Sophoclem plurimis locis editores correxerunt, v. Ellendtii lexicon s. v. μέν. Thucyd. IV 69, 3: ξυνέβησαν ῥητοῦ μὲν ἕκαστον ἀργυρίου ἀπολυθῆναι —, τοῖς τε Λακεδαιμονίοις χρῆσθαι Ἀθηναίους κτε. 'recte correxit Poppo τοῖς δέ, in Lacedaemonios enim severius quam in ceteros hostes consuluerunt. Nec minus certa ejusdem est correctio ἐπειδὴ δέ pro τέ VIII 1. Verisimillimum porro est IV 32, ubi sagittarios Lemnios atque Imbrios a Cleone adductos esse (28, 4) ex contextu orationis apparet, cum Krueg. τοξόται δέ scribendum esse. Duo vero sunt loci quibus τέ non offendit; qua particula bene significatur non unam esse rem, sed aliam accedere, II 70, 2: ὁρῶντες μὲν — ἀνηλωκυίας τε ἤδη, III 46, 2: ἄμεινον μὲν ἢ νῦν παρασκευάσασθαι, πολιορκίᾳ τε παρατενεῖσθαι ἐς τοὔσχατον: τέ rei primariae arte se applicat. Scilicet si legeremus δέ, nemo

mutaret. Vulgo huc trahunt etiam I 144, 2: *Μεγαρέας μὲν ὅτι — δίκας δὲ ὅτι κτε.* Sed puto hic non triplicem partitionem esse, sed duplicem. Primum enim Pericles Lacedaemoniorum postulatis et de Megarensi plebiscito et (*τέ*) de sociorum libertate responderi iubet, tum (*δέ*) id addit quod Athenienses ad pacem tuendam facere vult.

Non temere hic corrigendum esse id demonstrat quod etiam *καί* particulae *μέν* respondens invenitur. Quod imprimis tum locum tenet, si duo subiecta idem vel simile quid faciunt, ubi nos dicimus „und auch“. IV 64, 1: *Καὶ ἐγὼ μὲν — ἀξιῶ —· καὶ τοὺς ἄλλους ἀξιῶ ταὐτό μοι ποιῆσαι*, vel V 10, 6: *Καὶ ὁ μὲν — ἐξελθὼν ἔθει δρόμῳ —. Καὶ ὁ Κλεαρίδας ἅμα — ἐπεξελθὼν κτε.* Etiam V 60: *Καὶ οἱ μὲν ταῦτα εἰπόντες κτε.* et *Καὶ ὁ Ἆγις δεξάμενος* inter se respondent, non (§ 2) *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι.* Nam cum antea dictum esset *Ἀργείων δύο ἄνδρες — Ἄγιδι διελεγέσθην*, post formulam transitionis *καὶ οἱ μέν* — ea oppositio sequi debebat, quid contra Agis diceret. Particula autem copulativa, non adversativa praelata est, quia ut duo Argivi *ἀφ' ἑαυτῶν καὶ οὐ τοῦ πλήθους κελεύσαντος εἶπον*, ita Agis *αὐτὸς καὶ οὐ μετὰ τῶν πλειόνων* egit. I 20, 1: *Τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον*, quibus verbis respondet 21, 2: *καὶ ὁ πόλεμος οὗτος — δηλώσει.* Ad *τοιαῦτα* enim se applicat *χαλεπὰ ὄντα* quod per totum caput fusius illustratur, tum 21, 1 iteratur tamen rem ita se habere. Mirum videri potest quod VI 52, 1: *παρέπλευσαν πρῶτον μὲν ἐπὶ Συρακούσας· καὶ ὡς οὐδὲν — εὗρον, παρεκομίζοντο αὖθις ἐπὶ Καμαρίνης* non scriptum est *ὡς δὲ οὐδὲν εὗρον κτε.* Sed significatur illam rem non moram effecisse: „und dann“. Anacoluthiae in modum constructione mutata *μέν* et *καί* sibi respondent II 65, 2: *ὅμως δέκα* (codd. *τρία*) *μὲν ἔτη ἀντεῖχον — καὶ οὐ πρότερον ἐνέδοσαν ἐπεί.* Secundum traditam lectionem etiam V 71, 1 huc trahendus est: *τὰ στρατόπεδα ποιεῖ μὲν καὶ ἅπαντα τοῦτο —· καὶ τότε περιέσχον οἱ Μαντινῆς.* Sed nequeo improbare rationes gravissimas, quibus adductus Stahlius verba *ποιεῖ — τοῦτο* ut supervacanea et languida ejecit. Desideratur tamen et in codicum et in Stahlii lectione particula *γάρ*, v. Rauchenstein in Philol. 1876, p. 237. — I 143, 5 vulgata lectio *εἰ μὲν γὰρ ἦμεν* codicum auctoritate non ap-

probatur, in qua Classenius nimis quaesite responsionem *εἰ μὲν — καὶ νῦν* explicat, cujus exempla non exstant. Sed legitur *εἰ γὰρ ἦμεν.*

XI.

Restat ut disseram de particularum conjunctionibus *μέν γε, μὲν οὖν, μὲν δή, δ' οὖν, δ' αὖ.* Particulam *γέ* in hac conjunctione prope accedere ad particulam *γάρ* constat; certe si praeterea aliqua differentia inest, non nisi magna subtilitate inveniri potest, v. Buttmann ad Demosth. Mid. p. 46. Apud Thucydidem legimus *μέν γε*: I 40, 4. 70, 2. 74, 1; II 38, 1; III 39, 2; VI 86, 3, qui loci omnes ex orationibus sunt. Res quae per *μέν γε* et *δέ* sibi opponuntur, judicium aliquod de duabus rebus antea jam nominatis explicant praeter II 38, ubi ad verbum *πλείστας* exponendum singulae res enumerantur. Sic I 70, 2 verba *πρὸς οἵους ὑμῖν Ἀθηναίους ὄντας καὶ ὅσον ὑμῶν διαφέροντας ὁ ἀγὼν ἔσται. Οἱ μέν γε νεωτεροποιοὶ κτε.* praeclaram illam differentium inter Lacedaemonios et Athenienses morum atque ingenii descriptionem introducunt.

Multo latius particularum *μὲν οὖν* usus patet, quas iam in comprehensionibus et transitionibus, ubi praecipue adhibentur, cognovimus. Praeterea *μὲν οὖν* locum tenet, si ex enuntiato, quo res in universum jam commemorata est, transitus fit ad accuratiorem ejusdem rei expositionem, ubi *οὖν* fere vim latinae particulae „igitur“ habet, qua indicatur expositionem a lectore exspectatam esse, v. Bäuml. p. 181; ut II 75, 2: *χῶμα ἔχουν· ξύλα μὲν οὖν τέμνοντες — παρῳκοδόμουν κτε.*, cf. IV 110, 2. 112, 2; VI 30, 1, et singulariter medio in enuntiato III 101, 2: *καὶ τοὺς ἄλλους ἔπεισαν — πρῶτον μὲν οὖν τοὺς ὁμόρους — ἔπειτα*, et IV 104: *μάλιστα μὲν οὖν*; in enuntiato concessivo II 44, 2: *παραμυθήσομαι· — γάρ —. Χαλεπὸν μὲν οὖν οἶδα πείθειν ὄν — καρτερεῖν δὲ χρή*, cf. III 22, 6. Ita consilio capto *μὲν οὖν* primum expositionis gradum, *δέ* rei progressum designat III 92, 5 et VII 43, 1: *πρῶτον μὲν οὖν* et III 115, 5. IV 9, 2. V 15, 3. VI 82, 2. VIII 92, 2. Saepe quae ex aliqua re colliguntur per *μὲν οὖν* significantur, ut II 91, 4 post Atheniensium ex clade mutatam victoriam: *τοῖς μὲν οὖν Πελοποννησίοις γενομένου τούτου φόβος ἐμπίπτει, τοὺς δ' Ἀθηναίους*

θάρσος ἔλαβε, vel I 53, 4: *Εἰ μὲν οὖν ἄλλοσέ ποι βούλεσθε πλεῖν οὐ κωλύομεν, εἰ δ᾽ ἐπὶ Κέρκυραν, οὐ περιοψόμεθα*, cf. I 126, 12; II 58, 3. III 23, 4. 24, 3. 81, 1; V 32, 7. Interdum etiam nihil nisi narrationis progressus designatur, III 98, 1: *καὶ ἦν ἐπὶ πολὺ τοιαύτη ἡ μάχη κτε. Μέχρι μὲν οὖν οἱ τοξόται εἶχον τὰ βέλη — ἀντεῖχον —· ἐπειδὴ δὲ — ἔφευγον*, cf. I 132, 3; II 54, 3; III 106, 1 et sine oppositione verbis expressa III 38, 1. 40, 2: *ἐγὼ μὲν οὖν*, „ich nun jedenfalls". Status rerum expositionem adhortatio sequitur I 71, 4. II 87, 5. Post enarratam Themistoclis mortem pergitur I 138, 5: *μνημεῖον μὲν οὖν αὐτοῦ ἐν Μαγνησίᾳ ἐστι —, τὰ δὲ ὀστᾶ φασιν κτε.* II 48, 3 expressa morbi propagatione ad ipsius descriptionem sic transitur: *λεγέτω μὲν οὖν περὶ αὐτοῦ ὡς ἕκαστος — γιγνώσκει —· ἐγὼ δὲ οἷόν τε ἐγίγνετο λέξω καὶ ἀφ᾽ ὧν ἄν τις.* De I 62, 1, ubi cum Kruegero *οὖν* inseri necesse esse puto, v. p. 41. Exempla quae Poppo attulit nihil demonstrant, quoniam ibi in conclusione et transitu *μέν* asyndetice se applicat, hic vero media in enarratione.

Μὲν δή apud Thucydidem non nisi in transitionibus invenitur, v. p. 17. Praeterea semel tantum legitur, III 113, 4, v. p. 6. Quam propter singularitatem verisimillimum puto V 90 cum Bekkero scribere *ἡμεῖς δή* pro tradito *ᾗ* vel *ᾗ μὲν δή*, quod minime cum Class. defendi potest. Krueg. et Stahlius cum Poppone scripserunt *ἡμεῖς μὲν δή*, quam lectionem probare me non *μέν* non sequente *δέ* prohibet, sed conjunctio *μὲν δή*.

Δέ cum *οὖν* conjunctum particulae *μέν* respondens tribus locis inveni: II 34, 7 et VII 59 post longiorem degressionem ad priora annectitur. Illic finita sepulturae in proeliis mortuorum descriptione narrationis filum excipitur: *ὧδε μὲν θάπτουσι —· ἐπὶ δ᾽ οὖν τοῖς πρώτοις τοῖσδε Περικλῆς ᾑρέθη λέγειν.* Etiam I 63, 1 *γοῦν* quod codices exhibent sine ullo dubio a Poppone recte correctum est. Sed hic quoniam *μέν* concessivum est, alia ratio est: Aristeus quamquam in dubitatione atque cura versabatur, tamen certe, profecto constituit, v. Poppo in Bétantii lexici appendice 1847, p. 14.

Δ᾽ αὖ legitur, ubi duae partes antea nominatae exponuntur, ita ut *αὖ* ad aliam partem transiri significet: V 14, 3. 68, 2; VIII 2, 1. 78. 92, 4. 104, 2, in tertio membro VI 38, 4.

XII.

Jam ad finem disputatione adacta liceat nobis etiam de particula *δέ* deficiente *μέν* quam brevissime disserere. Neque enim raro, ubi duae notiones vel enuntiata sibi opposita sunt, in priore membro *μέν* omittitur. Ac primum quidem nonnumquam eo loco, ubi *μέν* desideramus, particulam *δέ* invenimus, quae aut ad priora annectit aut alii *μέν* opposita est, ut II 87, 4: *ὑμῶν δὲ οὐδ᾽ ἡ ἀπειρία —· τῶνδε δὲ ἡ ἐπιστήμη κτε.* vel I 64, 1: *τὸ δ᾽ ἐκ τοῦ ἰσθμοῦ τεῖχος —· τὸ δ᾽ ἐς τὴν Παλλήνην ἀτείχιστον ἦν*, cf. I 90, 3; II 98, 4; III 82, 5. 89, 4; VI, 66.

Praeterea equidem non nisi unam causam omissae particulae *μέν* agnoscere possum: nempe scriptoris animo in priore membro cogitando posterius quod contrarium contineret nondum obversatum est. Nam quod Hartung II p. 163 et Kühner II p. 814 dicunt *μέν* omitti si prius membrum nimis exigui momenti sit, naturam particularum *μέν* et *δέ* non satis perspexisse mihi videntur. Etenim *μέν* nihil aliud nisi rem primariam per *δέ* significatam praeparare vult, ut Bäuml. p. 164 bene dicit: „In dieser Zusammenstellung und Gliederung — liegt das Wesentliche, das Ziel der Rede regelmässig in dem Satze mit *δέ*." Si igitur, ut negari non potest, *μέν* enuntiatum minoris momenti introducit, cur particula omittitur, si id membrum nimis exiguum est? Immo omissa particula enuntiatum solutius fit a posteriore membro, et re vera illam causam omnia exempla complecti existimo. Verborum oppositio non respicitur, sed simpliciter alia res alii annectitur. Quod non raro etiam in collocatione verborum cernitur, cum ea verba quae contrarium suum cient in fine prioris membri posita sint itaque quasi epexegetice addita esse videantur, ut II 96, 3: *μέχρι γὰρ — ὡρίζετο ἡ ἀρχὴ τὰ πρὸς Παίονας ἤδη· τὰ δὲ πρὸς Τριβαλλοὺς — Τρῆρες ὥριζον*, II 31, 2: *μυρίων γὰρ ὁπλιτῶν οὐκ ἐλάσσους ἦσαν αὐτοὶ Ἀθηναῖοι, μέτοικοι δὲ ξυνεσέβαλον*, cf. II 53. 72, 1. 97, 5. VI 44 et saepissime *τὸ πρῶτον*. Qua de re bene disseruit Herbst in Philol. 1866, p. 647. 48. Nam cum *πρῶτον μὲν — ἔπειτα* duas ejusdem rei partes designet, *πρῶτον — ἔπειτα* non unam continuam rem, sed duas significat, et *πρῶτον* non ut *πρῶτον μέν* formula enumerandi est, sed plenam vim suam temporalem servat et plerumque in fine prioris membri collo-

catum est, VIII 26: *κατέπλευσαν ἐς Λέρον πρῶτον· ἔπειτα ἐκεῖθεν*, cf. V 31. VI 2, 5. 88, 9. Duobus locis *πρῶτον* non postpositum est, sed etiam VIII 8, 2 non enumeratur, sed *ἔπειτα* et *τὸ τελευταῖον δέ* rei primariae opponuntur, *πρῶτον* est primum et praecipue. Nec minus VIII 46, 2 *πρῶτον* nihil nisi tempus designat, quod per se minime ut quidquam subsequatur postulat. — *Τὸ πρῶτον* non postpositum est II 48, 1 et III 97, 1, cf. I 98, 4: *πρώτη τε αὕτη πόλις — ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων*. — Si *ἔπειτα* cum *δέ* conjunctum est, res sibi opponuntur; plerumque vero tum *καί* particulae *δέ* additum est: IV 124. VII 23, *ἔπειτα δὲ ὕστερον καί* II 9, 1. V 61, 3, *ὕστερον* sine *καί* VIII 106, 7.

Saepe verbum prioris enuntiati cum *δὲ καί* repetitur, genus anaphorae minus quidem insigne quam anaphora verborum cum *μέν* et *δέ*, praesertim cum in priore membro verbum non in capite enuntiati collocatum sit, ut II 7, 1: *οἱ Ἀθηναῖοι παρεσκευάζοντο ὡς πολεμήσοντες, παρεσκευάζοντο δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι*, cf. I 28, 2. III 18, 1. I 30, 4: *ἐστρατοπεδεύοντο ἐπὶ Ἀκτίῳ — ἀντεστρατοπεδεύοντο δὲ καὶ οἱ Κερκυραῖοι κτε.*, I 127, 1—128, 1.

Non raro fit ut secundum membrum nihil nisi prioris complementum quod per se intellegitur contineat, ut I 110, 1: *ὀλίγοι — ἐς Κυρήνην ἐσώθησαν, οἱ δὲ πλεῖστοι ἀπώλοντο*, cf. ibd. § 3; II 9, 5; IV 68, 2; VI 88, 10, aut annotationem parentheticam, ut III 23, 4: *φθάνουσι — διαβάντες τὴν τάφρον, χαλεπῶς δὲ καὶ βιαίως*, VI 50, 3: *ἐπὶ Συρακούσας ἔπλεον, ἐπὶ κέρως ἔχοντες τὰς ἄλλας ναῦς, δέκα δὲ τῶν νεῶν προύπεμψαν ἐς τὸν μέγαν λιμένα*, ubi *ἄλλας* proleptice positum est. Quod nonnumquam verba opposita plane contraria sunt, id omissionem particulae non impedit, sed oppositio ipsa nimirum scriptori postea demum in mentem venit, ut I 93, 5: *ᾠκοδόμησαν τὸ πάχος τοῦ τείχους — τὸ δὲ ὕψος*, II 60, 2: *πλείω ξύμπασαν ὀρθουμένην ἢ καθ' ἕκαστον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην*, ubi oppositio verbo *εὐπραγοῦσαν* absoluta est, cf. I 100, 3; II 97, 1; IV 25, 8. 96, 2; VIII 22. Plerumque scilicet *δέ* ad sermonem simpliciter continuandam positum videri potest, ut II 65, 1: *τοιαῦτα ὁ Περικλῆς λέγων ἐπειρᾶτο — ἀπάγειν· οἱ δὲ ἀνεπείθοντο κτε.*, VII 57, 4: *Χῖοι φόρον οὐχ ὑποτελεῖς ὄντες, ναῦς δὲ παρέχοντες κτε.*, II 37: *οὐδ' αὖ κατὰ πενίαν, ἔχων δέ τι —*, quod valet *πένης μὲν ὤν*, cf. I 95, 7; II 90, 6; III 83, 1. 92, 6; IV 8, 8; 38, 5. 93, 3. 124, 1; V 31, 3; VII 72, 1; VIII 104, 1. *Μέντοι* legitur *μέν* non praecedente IV 78, 4: *νῦν δὲ ἀκόντων ἐκείνων οὐκ ἂν προελθεῖν, οὐ μέντοι ἀξιοῦν γε εἴργεσθαι*, cf. VI 25, 2; VIII 84, 3. Sane concedendum est, si *μέν* additum esset, neminem offensurum esse. Quam incerta tota res sit, etiam ex eo apparet, quod in augendi et corrigendi formulis plerumque quidem formula *μέν — μάλιστα δέ* adhibetur, sine *μέν* tamen III 109, 2; VII 80, 3; VIII 53, 1. 75, 5, cf. VII 10, 5: *πολὺ δ' ἔτι μείζω*, ita scilicet, ut verba *μάλιστα δέ* epexegetice addita esse videantur.

Si uni personae vel rei plura praedicata tribuuntur, imprimis in appositione, ea et per *μὲν — δέ* et simplici *δέ* copulantur. Qua de re v. Schneider ad Isocr. 9, 14 et Maetzner ad Antiph. p. 133. I 56: *Ποτειδεάτας, Κορινθίων ἀποίκους ἑαυτῶν δὲ ξυμμάχους*, IV 29, 4: *τοὺς ἐλάσσους, ἐμπείρους δὲ τῆς χώρας*, cf. I 12, 3. 23, 6; II 60, 6; IV 7; VIII 28. 64, 2. Exempla cum *μέν* v. p. 27. — Duo ex alio pendentia enuntiata, quorum unum verbum alterius uni oppositum est, sic per *δέ* copulata sunt III 102, 5: *δεινὸν γὰρ ἦν μὴ μεγάλου ὄντος τοῦ τείχους, ὀλίγων δὲ τῶν ἀμυνομένων*, I 10, 2: *Λακεδαιμονίων γὰρ εἰ ἡ πόλις ἐρημωθείη, λειφθείη δὲ τὰ ἱερά κτε.*, cf. I 86, 1; IV 51. — Aliter enuntiatum absolvitur atque inceptum est III 67, 4: *οἴκτου ἀξιώτεροι τυγχάνειν οἱ ἀπρεπές τι πάσχοντες τῶν ἀνθρώπων, οἱ δὲ δικαίως τὰ ἐναντία ἐπίχαρτοι εἶναι* pro *ἢ οἱ κτε.*

Commemoratione id quoque dignum est *μέν* omitti, si quid per *γάρ* explicatur vel causa ei additur, cui tum contrarium annectitur, ita ut tantum prius enuntiatum argumentationem contineat, ut VI 49: *μάχην ποιεῖσθαι ἕως ἔτι ἀπαράσκευοί εἰσι — τὸ γὰρ πρῶτον πᾶν στράτευμα δεινότατον εἶναι· ἢν δὲ χρονίσῃ κτε.*, cf. IV 26, 7; II 64, 5. I 121, 3. 4. — VI 10, 4 posterius membrum antea comparativo sine *ἤ* indicatum est: *τὸν πολέμιον δεινότερον ἕξομεν μὴ ῥᾳδίως αὐτῷ πάλιν οὔσης τῆς ἀναχωρήσεως· ἐπὶ γὰρ ταῖς ναυσὶν ῥᾷστοί εἰσιν ἀμύνεσθαι, ἀποβάντες δὲ ἐν τῷ ἴσῳ ἤδη.* Si additum esset ad *δεινότε-*

ρον: *ἢ εἰ ἀπέβη ἤδη* vel tale quid, desideraremus: *ἐπὶ μὲν γὰρ κτε.* Aliter se habent ibidem verba quae antecedunt: *μενόντων ἡμῶν ξύμμαχον γίγνεται, ὑποχωρήσασι δὲ καίπερ χαλεπὸν ὂν εὔπορον κτε.*, quae sic quidem ut tradita sunt nullo modo explicari possunt. Nam exempla a Class. allata ad dativum *ὑποχωρήσασι* tuendum aperte aliena sunt, quem unusquisque cum *εὔπορον ἔσται* conjungere debet. Ex conjecturis quae prolatae sunt maxime mihi placet Stahlii quamvis non ita facilis: *ὑποχωρήσασι δὲ χαλεπόν· καὶ γὰρ εὔπορον ἔσται.* Idem post *μενόντων* rectissime inseruit *μέν*. Nam priora jam *ἢν ἐθέλωμέν τε μεῖναι καὶ μὴ — καταπροδοῦναι* utriusque condicionis distinctionem continent. Item ego III 58, 2 *μέν* inseri necesse esse puto: *βραχὺ μὲν γὰρ κτε.*, utrumque enim antea commemoratum est, neque dici potest posterius membrum scriptori non obversatum esse, quoniam id maximum est. Alia de causa VII 18 mihi *μέν* addendum esse videtur, ubi legitur: *τοὺς Ἀθηναίους εὐκαθαιρετωτέρους ἔσεσθαι —· ἐν γὰρ τῷ προτέρῳ πολέμῳ σφέτερον τὸ παρανόμημα μᾶλλον γενέσθαι, ὅτι —· ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἀθηναῖοι — ἐδῄωσαν κτε.* Nam causae hic non in priore sed in posteriore membro commemorantur. Tum autem in priore, quod modo oppositionis causa additum est, particula *μέν* significari debet primariam causam sequi. Cujus usus exempla v. p. 15. — In condicionibus oppositis *μέν* omissum est III 113, 6: *Ἀμπρακίαν μέντοι οἶδα ὅτι εἰ ἐβουλήθησαν —· νῦν δ' ἔδεισαν*, ubi aperte oppositio *νῦν δέ* primo non in scriptoris mente erat. III 40, 4 condiciones omnino non sunt contrariae. III 12, 3 vero condiciones contrariae una priora illustrant, vel potius prius membrum appositum est ad posterius magis efferendum, itaque nescio an scribendum sit *εἰ μὲν γὰρ δυνατοὶ ἦμεν*, cf. I 143, 5; III 65, 2; IV 73, 2.

Postremo *μέν* in partitionibus omissum esse videtur, ne nimis prope ad aliud *μέν* accederet, ut VII 50, 3: *Λακεδαιμόνιοι μὲν ἡγεμόνα Σπαρτιάτην παρεχόμενοι, νεοδαμώδεις δὲ τοὺς ἄλλους καὶ Εἵλωτας* chiastico oppositorum ordine pro *Λακεδαιμόνιοι μὲν Σπαρτιάτην μὲν ἡγεμ. κτε.*, IV 21, 1 ubi exspectatur *ἐν μὲν τῷ πρὶν χρόνῳ*, V 2 pro *ὁπλίτας μὲν Ἀθηναίων μέν*, et collocatione epexegetica V 32, 1: *Σκιωναίους*

μὲν Ἀθηναῖοι ἐκπολιορκήσαντες ἀπέκτειναν τοὺς ἡβῶντας, παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας ἠνδραπόδισαν, cf. I 117, 2. Fit quoque ut prioris membri totum omnino non expressum sit, ut III 107, 4, ubi ante *Δημοσθένης μέν* intellegendum est *Ἀθηναῖοι μέν*, V 74, ubi subaudimus *τῶν μὲν ξυμμάχων*. VI 66, 3: *ἐκ μὲν τῆς πόλεως οὐδείς —, πρῶτοι δὲ — ἔπειτα δὲ καί*: supplendum est *ἐκ δὲ Κατάνης πρῶτοι μέν*. Ita evenit ut haec exempla speciem triplicis partitionis prae se ferant, cum potius altera pars rursus bipartita sit.

Latissime denique *δέ* non praecedente *μέν* adhibetur, si prius membrum negativum est, atque hic jam rem attingo valde lubricam. Quanam re differunt inter se *οὐ — δέ, μὲν οὐ — δέ, οὐ — ἀλλά*? Quae omnia nos per „sondern“ reddere possumus. Hartung quidem I 171 dicit *δέ* numquam ita vertendum esse, sed vix id in omnibus exemplis defendi possit. Primum numeri aliquam in partem nos doceant. *Ἀλλά* post negationem inveni in tertio libro quadragies, *δέ* sine *μέν* septies decies, cum *μέν* sexies; in sexto libro *ἀλλά* quadragies octies, *δέ* praecedente *μέν* novies, sine *μέν* vicies octies. *Ἀλλά* locum tenet, si quid acriter negatur et oppositio affirmativa statim additur, ita post *οὐχί* III 53, 4. 67, 4. Sed conjunctionis *ἀλλά* usum jam in medio relinquamus. *Δέ* vero non praecedente *μέν* tum legitur, si qua res nova priori enuntiato simpliciter annectitur, VII 77, 4: *μὴ καταπέπληχθε, λογίζεσθε δέ*, IV 62, 2: *μὴ τοὺς ἐμοὺς λόγους ὑπεριδεῖν, τὴν δὲ αὑτοῦ τινα σωτηρίαν — προϊδεῖν*, ubi *μὴ ὑπεριδεῖν* affirmative reddi potest: „beachten“, III 48, 1: *μήτε οἴκτῳ πλέον νείμαντες μήτε ἐπιεικείᾳ, ἀπ' αὐτῶν δὲ τῶν παραινουμένων πείθεσθέ μοι*, et sic saepissime. Sed etiam in exemplis ubi oppositio tam acuta est ut non possimus quin vertamus „sondern“, *δέ* invenitur, ut VI 87, 2: *οὐκ ἄκλητοι, παρακληθέντες δέ*, VI 32, 1: *οὐ κατὰ ναῦν ἑκάστην, ξύμπαντες δέ*, cf. VI 79, 1; IV 98, 8. *Δέ* in secundo membro per *μᾶλλον*, potius, firmatum est: I 5, 1. 123, 2. 140, 2; IV 62, 2. 87, 5; V 28, 2. 101; VI 77, 1. 78, 4. 83, 4. 86, 2. 92, 4. Verbum prioris enuntiati in secundo membro repetitur vel synonymo excipitur VI 23, 3: *ὅτι ἐλάχιστα τῇ τύχῃ παραδοὺς ἐμαυτὸν βούλομαι ἐκπλεῖν, παρασκευῇ δὲ ἀσφαλεῖ ἐκπλεῦσαι*, III 59, 3: *οὐ Θηβαίοις παρέδομεν τὴν*

πόλιν, ὑμῖν δὲ πιστεύσαντες προσήλθομεν, cf. III 55, 3. 82, 8; IV 17, 3; V 101.

In omnibus his exemplis duae notiones contrariae sibi opponuntur, ita ut membra per se idonea sint, quae per *μέν* et *δέ* copulentur. Sed vetat nimirum verborum collocatio. Exempli gratia VI 86, 3 legeremus *στρατοπέδῳ μὲν οὐ, πόλει δὲ μείζονι,* 87, 2: *ἄκλητοι μὲν οὐ, παρακληθέντες δέ.* Sed facile intellegitur negationem sic ex libera atque significanti positione in principio enuntiati trudi orationemque omni varietate carere. Ac sunt quidem exempla, ubi *μέν* cum negatione conjunctum est et *δέ* quod sequitur supplementum affirmativum addit, sed non adeo crebra, imprimis si res quae negatur antea jam commemorata est, ut negatio non primum membri locum teneat. Sic qui legit, cum particulam *μέν* invenit, exspectat quidem notionem oppositam sequi, sed nondum scit prius membrum negativum esse, immo rem ipsam non negari, sed affirmari exspectat, quippe quae naturae rei magis conveniat: III 79, 2: *ἐπὶ μὲν τὴν πόλιν οὐκ ἐτόλμησαν πλεῦσαι κρατοῦντες τῇ ναυμαχίᾳ, τρισκαίδεκα δὲ ναῦς ἔχοντες ἀπέπλευσαν*: illud scilicet post victoriam consentaneum erat. IV 122, 5: *οἱ δὲ δίκῃ μὲν οὐκ ἤθελον κινδυνεύειν, στρατεύειν δὲ ὡς τάχιστα.* Exempla numeravi tria et quadraginta. — Etiam hoc adnoto plerumque formulam cum *μέν* in simplici narratione, sine *μέν* in orationibus legi.

Argumentum.

Corrigendum:

Pag. 31 lege: De I 117, 2 similibus locis vide p. 59.

VITA.

Natus sum Otto Oeltze die 24. m. Dec. a. 1864 in oppido Borussiae occidentatis cui nomen est Jastrow, patre Julio, cujus morte nuper summo dolore affectus sum, matre Maria e gente Zitzlaff, quam superstitem esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in progymnasio Muendensi imbutus anno 1877 gymnasium Andreanum quod Hildesiae floret adii, unde vere anni 1883 maturitatis testimonio instructus universitatem Lipsiensem frequentavi, ubi per tria semestria me docuerunt viri clarissimi Biedermann, Crusius, Curtius, Hirzel, Lange, Lipsius, Ed. Meyer, von Noorden, Ribbeck, Voigt. Gottingae per sex menses scholas audivi virorum doctissimorum Baumann, Fick, Sauppe, Volquardsen, v. Wilamowitz. Vere anni 1885 denique Halas me contuli, ubi me docuerunt Burdach, Dittenberger, Droysen, Dümmler, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Keil, Kirchhoff, Uphues, Vaihinger. Seminarii philologici per bis sex menses sodalis eram ordinarius. In societatem suam me recepit Keil. Omnibus vero illis viris illustrissimis semper gratiam habebo quam maximam.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE